

Data and some speculation on Lonergan's new draft of a
theology of the redemption. FEC 9/9/93

The relevant archival materials so far noticed are partly in 'Batches' (so called because they came to us from BL during his lifetime in separate batches), and partly in 'Files' (papers received posthumously); for the latter there is a catalog made by BL ca 1975, but it is incomplete, and not wholly reliable even before 1975.

A. Batch IX, Files 5 and 6 = 2 identical copies with title on the folder 'BONO ET MALO etc. 124 pp.' These were given to FEC in 1972, and BL explained at the time that he had wanted (back ca 1963-64) to redo his Christology, incorporating new work on the historical causality of Christ. The contents are the first four chapters in list made by M.G. Shields (De bono et malo, De iustitia Dei, De Christo mortuo et resurrecto, De cruce Christi).

These were almost certainly done by a PUG typist; they are full of mistakes (see MGS). The title on the folders is bad Latin (lacking the preposition), which suggests the work of the typist, but the file folders were made in Canada; would BL have taken folders with him to Rome? Unlikely. And then given two empty ones to the typist for return of the copies? Even less likely. I lean to opinion BL did the titles on the folders, but it is a real possibility that the PUG typist returned them in Roman file folders with his titles, and that BL, putting his papers in order later, scrapped the PUG folders and transferred their titles unchanged (except possibly for a slight change in 674 - see E below) to new folders.

B. File 519, with title on the folder 'De fine incarnationis'. This is the autograph of the short work multiplied for students in 1953-54 under a long title beginning, De ratione convenientiae.

This topic returns in the new draft of the theology of the redemption: article 44, and what seems to be an earlier draft of the same article (see File 674, E below, and MGS' catalog).

C. File 639, listed in BL's 1975 catalog as De redemptione. But this file was not found in the posthumous papers.

D. File 657, with the title on the folder 'BONO ET MALO etc. 179 pp.' (as in Batch IX, Files 5 and 6, printed in same hand). The important contents (there are scattered pages and sheaves I will not delay on) are the table of contents for same four chs as in A above (with the marginal notation '2 copies'), and the typed pages of these 4 chs, actually coming to 179 pp.

But the series is interrupted (at end of ch. 3, art. 21, *De virtute resurrectionis*), with a draft of ch. 5 (*De satisfactione Christi*), articles 26-34, not paginated, with each article stapled separately. Ch. 4 then follows.

I take this to be the autograph of the four chs given to a PUG typist (with the notation to make 2 copies), who returned the original and two copies to BL, who either received or put them in three separate file folders. Then, as he continued to work on ch. 5, he included his ongoing work in the file of the original, now (after 1975) numbered 657.

E. File 674, with title on the folder 'DE OPERE CHRISTI (art 35 - 44)'; the 'DE' seems to have been added later; the title is in the same hand and the same style as A and D above. The contents are ch. 6 (but it is not called ch. 6, nor has this 'chapter' any title), and has the most obvious relation to the historical causality of Christ that BL mentioned in 1972 (see MGS' table of contents).

P.S. We are going to need a title in referring to this material; what of 'De redemptione - new draft'?

DE BONO ET MALO, etc.

Received from BL Aug. 12, 1972

He says it dates from about 1963-64

- it was to be a further thesis De Verbo incarnato
- with the specific purpose of explaining the "historical causality" of Xt

contributing to an explanation of

FEC Aug. 12/72

Caput Primum.

DE BONO ET MALO.

Notum nobis factum est divinae voluntatis sacramentum 'omnia in Christo instaurare sive quae in caelis sive quae in terris sunt in ipso' (Eph I, 9.10). Quod si his in terris parum perspicimus quemadmodum cœlestia in Christo instaurentur, haud forte mirandum est. Sed gravius esse videtur si pariter praetermittimus quemadmodum instaurentur ipsa terrestria, cum nostri sit collaborare ut omnis aedificatio constructa crascat in templum sanctum in Domino (Eph 2, 21).

Quam ob causam diligenter imprimis considerandum esse duximus quale sit bonum, quemadmodum humanum bonum præcipue in ordine ponatur, qua lege humanum ordinis bonum peccato corrumpatur, quaenam denique sit humana potentia ad humanum ordinis bonum restaurandum. Haec enim si perspecta habuerimus, et plenius et fructuosius intelligemus, quanti momenti sit in omnibus et singulis hodiernæ vitae problematibus magnum illud Dei Patris beneficium, quod per Dominum nostrum crucifixum et resurrectum in sancto Spiritu accepimus.

Caput Primum.

DE BONO ET MALO

Notum nobis factum est divinae voluntatis sacramentum
'omnia in Christo instaurare sive quae in caelis sive quae in
terris sunt in ipso' (Eph I, 9.10); Quod si his in terris parum
perspicimus quemadmodum caelestia in Christo instaurentur, haud
forte mirandum est. Sed gravius esse videtur si pariter praeter-
mittimus quemadmodum instaurentur ipsa terrestria, cum nostri sit
collaborare ut omnis aedificatio constructa crescat in templum sanctum
in Domino (Eph 2, 21).

Quam ob causam diligenter imprimis considerandum esse
duximus quale sit bonum, quemadmodum humanum bonum praecipue
in ordine ponatur, qua lege humanum ordinis bonum peccato
corrumpatur, quaenam denique sit humana potentia ad humanum
ordinis bonum restaurandum. Haec enim si perspecta habuerimus,
et plenius et fructuosius intelligemus, quanti momenti sit in
omnibus et singulis hodiernae vitae problematibus magnum
^{Dominum}
illud Dei Patris beneficium, quod per ^{Dominum} nostrum crucifixum
et resurrectum in sancto Spiritu accepimus.

Articulus I.

De Bono in Genere

Omne bonum est ens.

Nam ens et bonum convertuntur; sicut ergo omne ens est bonum,
ita omne bonum est ens.

Qui dicit bonum, dicit concretum.

Nam omne bonum est ens, et omne ens est concretum.

Differentiae enim cuiuscumque entis non addunt super illud ens
sed in eo includuntur. Quod autem in se includit omnes suas differen-
tias, concretum est. Omne ergo ens concretum est, et ideo pariter omne
bonum.

Iterum, ipsa intentio concreti nihil est aliud quam intentio
entis. Qui enim concretum intendit, neque diversos rei aspectus expli-
cite cogitat, neque ulla tenus ab ipsa rei realitate abstrahit. Pariter
qui ens intendit, neque varios aspectus seu differentias explicite co-
gitat, neque ulla tenus a rei realitate praescindit sed eam totam con-
siderat.

Qui dicit bonum, dicit omnia.

Nam quodcumque est, ens est.

Ens ergo sese extendit ad omnia. Sed ens et bonum convertuntur.

Et ideo bonum sese extendit ad omnia.

Quod Deus est bonus per essentiam, caetera autem per
participationem.

Essentia enim Dei est ipsa entis et boni essentia;
sed essentia creaturae non est nisi imperfecta quaedam divinae essentiae
imitatio vel participatio; sicut ergo ^{creatura} imitatur vel participat

divinam essentiam, ita etiam imitatur vel participat essentiam boni.

Iterum, essentia creaturae non est nisi essentia hominis vel equi vel rosae vel alterius cuiusdam speciei; et nulla eiusmodi species est ipsa essentia entis vel boni cum, ea intellecta, multa alia entia et multa alia bona maneant intelligenda. Sed intellecta divina essentia, totum ens et totum bonum in ea intelliguntur; et ideo essentia Dei est essentia entis et boni.

Quod hac in vita imperfecte et analogice bonum

intelligimus, concipimus, cognoscimus.

Nam qualis est intelligentia, talis est conceptio; et qualis est conceptio, talis est cognitio. Cognitio enim nostra est conceptionis affirmatio vel negatio; et conceptio nostra non est nisi intelligentiae expressio.

Sed propria et perfecta cuiusque intelligentia ex perspecta eiusdem essentia habetur; boni autem essentia est ipsa divina essentia; et cum hac in vita nisi imperfecte et analogice divinam essentiam non intelligamus, concipiamus, cognoscamus, sequitur omnino nos hac in vita imperfecte et analogice boni essentiam intelligere, concipere, cognoscere.

Quod boni creati duplex est consideratio.

Primo, enim, ea quae appetuntur, bona dicuntur; et haec sunt bona particularia.

Deinde, vero, cum bonum sit concretum, prima illa consideratio omnino insufficiens videtur. Nam frustra esset appetibile sine appetitu; frustra essent appetibile et appetitus sine appetitione;

frustra essent appetibile, appetitus, et appetitio sine appetente; frustra essent haec omnia nisi appetens ita appetibile prosequetur ut id consequi eoque frui posset; neque prosecutio, consecutio, fruitio esse possent, nisi praesto essent necessaria media adiunctaque propitia. Quae cum ita sint, si quidem appetibile est bonum, etiam bona suo modo sunt appetitus, appetitio, appetens, prosecutio, media, adiuncta, consecutio, fruitio. Quae quidem omnia non simpliciter multa sunt, sed naturaliter inter se ordinantur ut unum quoddam totum, concretum, dynamicum efformetur. Quod si partes huius totius suo modo bonae esse dicuntur, multo magis ipsum totum ordinatum nominatur bonum. Quam ob causam, praeter appetibilia seu bona particularia, etiam bonum ordinis agnoscendi oportet.

Quod tripliciter consideratur bonum ordinis.

Nam prima est consideratio abstracta; altera est schematica, typica, hypothetica; tertia denique est concreta atque actualis.

Priman ergo et abstractam considerationem iam supra adhibuimus, cum ex ipsa ratione appetibilis ad appetitum, appetitionem, appetens, prosequens, etc., conclusimus.

Altera autem consideratio abstractam praesupponit et eatenus ad concretum procedit quatenus problema concretae realizationis proponit et ad solutionem quadam schematicam, typicam, hypotheticam pervenit. Supra enim non statuimus nisi abstractum quoddam ordinis bonum. Non enim diximus cuiusnam naturae sit appetens, utrum unicum sit an multa, utrum semel an multoies appetant, utrum idem semper sit

appetibile an diversa, quanam lege varientur appetibilia, utrum ipsa appetentia aliis appetentibus sint vel appetibilia, vel media, vel adiuncta, et quaenam quibus, etc. At si quis has quaestiones ponit et ita respondere vult ut possibile sit singula appetentia talibus appetibilibus toties frui quoties convenit, non solum abstractas ordinationes considerare debet, sed ad concretam dispositionem spatialem et temporalem deveniat necesse est.

Quot vero felices invenit dispositiones (quae equilibria nominari solent: puta propter disrupta equilibria, ultra omnem modum multiplicatos esse cuniculos in Australiam, passeres in Americam invectos), tot sunt huius problematis solutiones schematicae, typicae, hypotheticae. Neque alia essentialiter est consideratio eorum qui de evolutione specierum speculanuntur sed, facta hypothesi particulari, idem problema modo pleniori ponunt circa omnia, nempe, viventia, super totam terrae faciem, ex temporibus antiquissimis.

Tertia denique est actualis et concreta consideratio quae, praesuppositis tum ordinatione abstracta tum ordinationibus schematicis et hypotheticis, ad illum procedit ordinem quam divina sapientia infallibiliter novit, divina bonitas efficaciter elegit, divina potentia irresistibiliter facit. Et quia bonum est ens et concretum et omnia respicit, per solam hanc tertiam considerationem ad notitiam boni creati pervenitur. Qui enim schematica et hypothetica considerat, non ad ea quae sunt sed ad ea quae forte esse possunt attendit. Qui autem ad sola bona particularia attendit, ipse manifestat, se magis appetentem quam reflectantem ~~cum~~ solam boni partem et non totum et concretum bonum consideret. Qui, caeteris omissis, hoc vel illud totum, concretum, dynamicum ordinis bonum examinat, legitima sane praecisione

utitur , modo divinae sapientiae omnia ordinantis, divinae electionis omnia
volentis, divinae potentiae mundum ordine unum^I facientis non obliviscatur.

Nam "finis quidem universi est aliquod bonum in ipso existens, scilicet
ordo ipsius universi."² Et "perfectius participat divinam bonitatem et
repraesentat eam totum universum quam alia quaelibet creatura."³

Articulus II

De Bono Ordinis Humano.

I) Quale sit bonum ordinis in rebus humanis.

Illud humano generi proprium est ut non solum, sicut cetera viventia, intra ordinis bonum orientur eoque iugiter fruantur, sed etiam ipsum suum ordinis bonum ratione et voluntate aliquatenus constituant, et constitutum secundum processum quendam historicum perficere studeant. Quod ut summis saltem lineamentis intelligatur, primo, de generali situatione humana quaedam dicenda esse videntur, deinde, de processu quo homines ex alia in aliam situationem transiunt, et tertio denique de altiori illa cultura secundum quam homines omnis regionis omnisque aetatis quodammodo inter se communicare possunt.

Quantum ergo ad generalem situationem attinet, homines invenimus non tam singula bona particularia quaerere quam eorumdem seriem quamdam et continuam et certam, quippe qui non semel tantum in vita vescantur, tunicas induant, tecto pluvia arceant, igni frigus repellant, sed his omnibus perpetuo fere indigeant. Cum tamen singuli soli haud sibi sufficiant ad totam hanc bonorum seriem comparandam, societas ineunt ut per cooperationem atque collaborationem omnes singulis et securius et facilius optatum bonorum quasi fluvium consequantur. At ipsa haec cooperatio suos exserit fructus. Ex actibus enim repetitis acquirentur habitus operativi tam apprehensivi quam appetitivi, ut singuli socii propria arte, virtute, scientia perficiantur, et ipsa tota societas propriam indolem in consuetudinibus, legibus, aliisque institutis exprimat. Quod si amare est bonum velle alicui, illi sane mutuo se a-

ipsum hoc communem bonum

mant qui ita bono communi incumbant, ut ^{ut} omnem fere eorum opera-
tionem gubernet, ut ipsos eorum habitus mentis et cordis formet,
ut non solum multiplici interdependentia saepe fere inconscia
sed etiam usu familiari atque cotidiano eos inter se coniungat.

Eiusmodi igitur invenitur bonum ordinis humanum ut
continuam securamque bonorum particularium seriem tamquam
finem intendat, per coordinates semperque repetitas operationes
tueatur, per mutuam denique amicitiam vitam communem ornnet atque
perficiat. Ita enim bonum ordinis domesticum viro, uxori, libe-
ris innumera fere bona particularia parit; quo ordine declinante,
dulcia fiunt amara, utilia incommodis repletur, et ipse mu-
tuus amor suspicionibus, querelis, dissidiis, rixis suffocatur.
Ita etiam bonum ordinis oeconomicum non in opificum labore,
non in materiis abundantibus, non in conducentium sollertia
atque audacia residet, sed in his omnibus et simul sumptis
et rite ordinatis, ut vigente ordine omnia omnibus fere prospere
procedunt et, solo ordine deficiente, communis omnibus imponitur
miseria. Ita denique bonum ordinis politicum caetera externa bona
tuetur; neque vacillare potest quin omnium dissipationem atque
destructionem comminetur.

2) Quemadmodum humanum ordinis bonum proficiat.

Non tamen unum idemque ordinis bonum apud homines cuiusvis
loci et aetatis invenitur. Alii enim mensuris aliis alia
appetibilia prosequuntur; alii aliter laborem inter se dividunt;

aliis aliae sunt consuetudines, leges, instituta, aliae sunt artes et scientiae, aliae magis laudantur virtutes, et cuique sua est religio. Cuius maximae variationis atque diversitatis causa, non tam in adiunctis externis reponenda esse videtur, quam in ipso interno intellectus profectu.

Exsistit enim motus quidam circularis, quo externa et concreta hominis situatio in intellectum agit, intellectus deinde in voluntatem, voluntas denique in ipsam situationem. Qui quidem motus semper uniformis maneret, si intellectus nihil umquam perspiceret nisi iam exsistens ordinis bonum. At eiusmodi est mentis humanae irrequietudo ut externa situatio facile inquirentem movet ad novum quidpism forteque vel commodius vel utilius vel quomodo-cumque melius inveniendum. Inventionem sequuntur nova consilia; consiliis persuadendi artes accedunt; persuasio consensum evincit; consensus novum agendi, faciendi, cooperandi modum inducit, ut ipsa externa situatio commutetur. Qua commutatione peracta, reincipit circulus, sive quia defectus novi consilii ipsis factis demonstrantur et iam quaeruntur remedia, sive quia nova situatio novas aperit possibilitates, novas inventiones stimulat, et nova melioraque consilia postulat. Neque huic motui circulari atque progressivo intrinseco quidam imponitur finis, cum ipsa sua natura intellectus dicatur quo sit omnia facere et fieri.

Humanum ergo ordinis bonum duplarem praebet aspectum.

Nam secundum generalem quamdam structuram seu formam unum quodammodo

atque constans invenitur, cum semper et ubique continuam certamque bonorum particularium seriem homines querant, cum semper et ubique per coordinatas operationes hanc seriem assequantur, cum semper et ubique ipsa haec cooperatio et instituta externa et publica et internos habitus inducat, cum semper et ubique relationes interpersonales ex bonis divisio, ex collaboratione, ex institutis communibus, ex ipsis internis habitibus oriuntur. At idem ordinis bonum ita generalem hanc structuram retinet ut tamen intelligentibus et consentientibus sociis levi quodam sed perpetuo fluxu commutetur. Minimae sane videri possunt singulae mutationes. Parvis omnino gressibus perficitur ordo. Sed quo tendit qui festinat, eo saepius pervenit qui perseverat. Neque perseverantia caret genus humanum, quod novae cuique generationi ea omnia tradit atque praecipit, quaecumque usu et experientia sunt probata.

Quibus perspectis, non solum rerum humanarum mutabilitatem intelligis, sed etiam maximas illas differentias quae in diversis et humanis traditionibus observantur. Cum enim intrinsecum quoddam mutationis principium in ipsa humana natura agnoscatur, cum hoc principium definiatur quo sit omnia facere et fieri, genetice explicari possunt quaecumque maximam civilizationem a cultura prorsus primitiva secernunt. Quod si valet genetica eiusmodi explicatio, statim concludi potest tum quanti momenti sit historica rerum intelligentia tum in quoniam consistat humana quae dicitur solidaritas.

Qui enim historice seu genetice res humanas intelligit, non solum generale quoddam perspicit theorema, nempe, bonum ordinis hu-

manum ab ipsis hominibus intelligentibus et consentientibus pede-tentim esse evolutum, sed etiam ad elementa atque particularia descendit ut de singulis dicere possit quibusnam adiunctis sint inventa, quibusnam gressibus perfecta, quibusnam fructibus retenta. Quae sane notitia quatenus re vera haberi potest, non solum speculatigo veritatis valore ornatur sed etiam maxima atque practica utilitate. Cum enim cuilibet, vel parum sapienti, manifestum sit neque omnia esse innovanda neque omnia conservanda, perdifficile tamen et admodum rarum est bene iudicare quaenam vetera quonam periculo derelinquerentur et quaenam nova quibusnam emolumentis introducerentur. Et quamvis eiusmodi quaestiones de futuro sint, neque bene aestimentur nisi ab iis qui praesentem rerum statum penitus noverint, non parum tamen confert rei historiae amplitudo, ne more eorum qui agros colant nihil sana et tamen audaci imaginatione concipere possimus, neve cum plebe urbana omne quod diuturno usu probatum est eo ipso spernamus.

Quantum vero solidaritatem humanam respicit, ipsum quod exposuimus humanum ordinis bonum satis manifestat. Ex hoc enim ordinis bono singuli nati atque nutriti sumus. Ex eodem fonte omnia fere didicimus quae ad cultum faciant imaginationis, ad emotionum sobrietatem, sentimentorum vim, artis et scientiae acquisitionem, voluntatis firmitatem, verborum usum, actionis constanciam, modestiam, efficaciam. Quod ipsi exemplis, praeceptis, doctrinis imbibimus, fere idem, nostro ingenio nostraque voluntate

paulo modificatum, aliis tradimus. Quem processum ipsi nunc ferimus; olim patres, avi, proavi ferebant; ferentque posteri. Neque quidquam aliud esse videtur ipsum humanum ordinis bonum, quam magna quaedam atque fidelissima summatio sive integratio eorum omnium, quae ingenium humanum aliquando invenit et voluntas humana acceptanda, conservanda, tradenda elegit.

3) Quaenam sit quae dicitur cultura superior.

Quod hactenus consideravimus ordinis bonum, cum directe non respiciat nisi domestica, technica, oeconomica, politica, bonum humanum exterius nominari licet. Cum tamen non solo pane vivat homo, aliud et culturale bonum iam investigari oportet.

Si enim altiores quaeris humanae actionis radices, quattuor invenis ab ipsa natura indita desideria, nempe, (1) naturale intelligenti desiderium, quod non quiescat donec Deum per divinam esstiam cognoscat,⁴ (2) naturale rectitudinis desiderium atque obligationem ut, quaecumque imperet ratio, exsequatur voluntas, (3) naturale felicitatis desiderium quod, quamvis de se indeterminatum sit,⁵ determinationem maxime ex superiori hominis natura accipit,⁶ et (4) naturale immortalitatis desiderium ut homo, non solum hac in vita mortali, sed etiam in alia eaque sempiterna, numen supremum, rerum omnium principium et finem, cognoscat, laudet, colat. Quibus spiritualibus desideriis accedunt mira illa sentimentorum elevatio humanaeque sensibilitatis plasticitas, quae hominem manifestant magis spiritum esse incarnatum quam animal ratione utens.

His ergo ~~indigentiis~~ ⁱ hacque capacitate permotus, dupliciter homo in finem spiritualem procedere potest. Aut enim mysticorum more ex domestico, technico, oeconomico, politico ordinis bono sese retrahit ut, a materialibus conditionibus quam maxime liberatus, immediatum quemdam accessum ad Deum quaerat, aut per ipsa materialia, corporalia, sensibilia in intelligibilia seu spiritualia pertingere contendit. Ubi primum eligitur, supremus quidam colitur individualismus, non solum quia mysticus a communi hominum vita separatur; sed etiam quia id ipsum ad quod pervenit ne signis quidem exprimi et communicari potest. Ubi vero eligitur alterum, duplex stadium distingui oportet, primitorum nempe et excultiorum hominum.

Primitivi ergo excultioribus neque ingenio neque aliis naturae donis inferiores inveniuntur: imo primitivi nascimur omnes. Imaginatione sane utuntur, intelligentia, iudicio, libero arbitrio, et signis. Neque minus in bonum spirituale quam in corporale tendunt, cum maxima apud ~~deos~~ ^A observetur religio. Neque spirituale bonum cum corporali confundunt, cum aliter agros et aliter deos colant. Attamen sicut communiter bono ordinis corporali incumbunt, ita communibus ritibus spiritualia bona quaerunt. Sicut communis est vita, ita communis fere invenitur eorum cogitatio, deliberatio, electio, quibus proficit bonum humanum. Signis denique utuntur quae ita vitae communi tam ornandae quam ordinandae inser- viant, ut tamen a technicis et reflexis illis abstineant conside rationibus, quae non solum signis perficiunt ^{ut} sed etiam quodammodo

circa signa versantur.

Qui autem exultiores dicuntur, ita reflexe in ipsa signa intendunt, ut grammaticam dicant scientiam quae interiorem signorum ordinem respiciat, rhetoricae quae eorum expendat vim ad alios docendos atque commovendos, ^{naturalium} logicam quae connexionum necessitatem examinet, semanticam quae signi ad significatum habitudinem determinet, criticam denique quae altioribus e principiis disputationes semanticas resolvere intendat. Qui maximus atque diuturnus labor, quamvis primitivis omnino inutilis videatur, verae cuidam indigeniae humanae respondet. Cuius enim desiderium intellectuale in totum ens fertur, nisi per signa technice elaborata neque in rerum naturalium essentias neque in spiritualium cognitionem analogicam clare, distincte, exacte, procedere potest. Praeterea, cuius intellectus se habet in genere intelligibilium ut potentia tantum, solus parum proficit; et ideo sine signis technice elaboratis, deficit illa inventorum communicatio quae ab aliis et posteris recipi, augeri, tradi possit. Denique tandem, ubi signa non communitati sed intellectui inserviunt, relaxatur communitatis dominium ut non solum novus quidam mundus contemplationi atque investigationi humanae aperiatur sed etiam novum communitatis genus efformetur.

Qui enim exteriori ordinis bono occupatur, solus operari non potest, sed in multis mentalitati atque arbitrio aliorum sese submittere debet. Qui autem technico signorum usu liberatur, non rerum materialium mordacibus curis retinetur, non 'practicorum' hominum placitis atque decretis huc illuc distrahitur, sed altissimis illis desideriis ducitur, quae rerum omnium intelligentiam, et voluntatis rectitudinem, et idealem quamdam hominis felicitatem,

et spiritus immortalitatem quaerant, cogitent, optent. Per litteras ergo humaniores ad explicitam sui conscientiam pervenit homo. Per scientias puras tam propriam quam aliarum rerum perspicit naturas. Per philosophiam et theologiam mentem elevat, tum ut ordinem universi speculetur, tum ut universi creatorem cognoscat, laudet, eique serviat. Per historiam denique ita addiscit quid homo vel fuerit vel fecerit, ut clarius distinctiusque perspicere possit quid iam corrigendum, sperandum, faciendum sit.

Quod culturale bonum, cum aliud exterius praeter signa non exigat, facilime ex loco in locum transit et ex antiquissimis temporibus servatur. Cum praeterea ex ipsis altissimis naturae humanae radicibus procedat, stirpis, gentis, traditionis particularismum frangit, et in universalem quamdam animorum civitatem tendit. Cum totum ens totumque bonum significare possit, interiorem hominis vitam ita auget, locupletat, perficit, ut homo exsistat non quasi pars quaedam vel instrumentum esset exterioris processus biologici, technici, oeconomici, et politici, sed suae dignitatis, libertatis, responsabilitatis conscientius, et ipsius exterioris processus iudex atque dominus.

Nam, uti superius diximus, exterius ordinis bonum ita hominibus intelligentibus et consentientibus iugiter commutatur ut ex quavis initiali situatione in quamlibet finalem levibus quidem sed perseverantibus gradibus procedatur. Sed ipsa superior cultura maxime in intellectu voluntateque humana residet, et ideo in omne consilium

omnemque consensum, quibus exterius bonum evolvitur, et suo iure et superiori quadam potestate influere solet.

Quam ob causam et ipsi materialistae, non solum artes practicas et applicatas quae dicuntur scientias, sed et ipsam scientiam puram doctrinasque psychologicas, oeconomicas, politicas, historicas maximi faciunt.

Ipsum denique culturale bonum saeculorum decursu proficere ita manifestum est ut tamen gravissimis malis saepius obscuretur. Quare de hac evolutione nihil ante dicendum esse censemus quam de malis tractaverimus.

Articulus III

De Signis

Quanta sit in humana vita signorum vis atque efficacia, facillime ex eo aestimatur quod, signis sublati, tolluntur omnis hominum cooperatio, omnistraditio, omnis progressus, ut inter homines humanum nihil relinqui videatur. Quaecumque enim modo humano ab aliis accipimus, per signa accipimus; quaecumque exacte cogitamus, per signa quasi figimus atque tenemus; quocumque agimus, non sola voluntate, sed etiam sensibilitate signis excitata, directa, mota perficimus. Imo, ipsam nostram internam experientiam haud ipsi nobis clare manifestamus nisi eam signis exprimimus, obiectificamus, incorporamus; neque solam quae conscientia dicitur vitam afficiunt signa sed etiam profundam atque latentem regnare videntur. Quae cum ita sint, haud miraris, ubi de bono quaeritur, ibi etiam de signo tractari, cum boni humani instrumentum tam necessarium quam universale existat signum.

Quod vero ad naturam signorum attinet, quattuor elementa seu principia maxime attendenda videntur, nempe, concretionis, conformatio*n*is, informationis, et mediationis.

Concretionis principium dicimus quod significatio fit et alicui et ab alicuo. Quod superflue dictum videretur, nisi tot iam pridem exsisterent signa quae adeo abbreviata, technice elaborata, et multipli*c* mediatione remota sint (libros puta ab ignotis auctoribus lectoribus pariter ignotis conscriptos), ut facilius notionem quamdam platonicam signi per se subsistentis formemus quam realitatem humanae communicationis apprehendamus.

Conformationis deinde dicimus principium seu elementum, quo ita significans isque cui significatur inter se coniunguntur, ut sensibilitas unius ad sensitatem alterius conformetur. Quod quidem exigit non solum conditiones illas externas ut alius indiget et alius aspiciat, alius loquatur et alius audiat, alius tangit et alius tangatur, alius scribat et alius idem legat, sed etiam mutuam plurium affinitatem, vel communem quendam finem, vel similem internae conscientiae orientationem. Sicut enim canis non cūlibet sed domino ad nutum obedit, sicut amici intimis et vi ab aliis perceptis signis inter se communicant, ita etiam patet non omnes auditores iisdem magistris vel omnes lectores iisdem scriptoribus pariter attendere, sed alios aliis libentius, plenius, fructuosius accedere.

Attamen, praeter generale conformatioonis principium, etiam ad gradum conformatioonis attendendum est. Alia enim signa nisi ad apprehensionem non ordinantur; alia autem ad sympathiam, compassionem, participationem nos movent. Qui enim uno eodemque modo et folia diurna legeret et morientis matris ultima verba audiret, aut semper gravissimis motibus perturbaretur, aut frigidus nimis durusque esse videretur. Nam sicut caetera sensibilia, signa etiam sensus nostros ita afficiunt, ut tamen nos omnia pariter imaginationem excitant, memoriam stimulent, emotiones evocent, sentimenta commoveant, desideria et timores aliasque animi passiones actuent. Qua de causa, secundum convenientem conformatioonis gradum, alia signa magis denotativa sunt quae vel parum vel nihil nos commoveant, alia autem magis

expressiva sunt quae, sicut ex intensa significantis experientia procedant, ita tam profunde quam efficaciter totam alterius sensibilitatem penetrent.

Post conformatiōnem, tertium informationis diximus esse signorum elementum. Eiusmodi enim est mutua formae et materiae coaptatio ut, ubi similes sint formae, similes etiam sint dispositiones materiae et, vicissim, ubi similes sint materiae dispositiones, similes etiam sint formae. Iam vero actus intelligendi se habet ad apprehensionem sensitivam, sicut forma ad dispositiones materiae; et similiter comparetur actus volendi ad motum appetitus sensitivi. Quam ob causam, cum significans et is cui significatur quoad sensibilitatem gradu convenienti per signa mutuo conformati sint, ipsam hanc sensibilitatis conformatiōnem in partem intellectivam extendit informationis principium. Nam qui ad eadem sensibilia attendunt, idem intelligunt. Qui multa et diversa eodem modo intelligunt, ad iudicia similia perveniunt. Qui non solum intelligentia et iudicio sed etiam sensitivis appetitionibus assimilantur, similia eos velle atque eligere vix dubitatur. Per signa ergo denotativa communem quādā evolutionem intellectualem participant homines; per signa vero expressiva ita appetitionibus et electionibus uniuntur ut complurium dicentes unam quādā esse animam et cor unum.

Quartum denique erat principium mediationis. Primum autem et principale medium est proprium uniuscuiuscumque corporis, quod non solum instrumentum animae coniunctum existit sed etiam hominis pars substantialis. Quam ob causam, magis immediate quam mediate significari videntur quae vultu, aspectu, tactu, risu vel lacrymis, vocis qualitate vel silentio,

gestibus vel immobilitate, non citius exprimantur quam intersubiectiva quadam humanae naturae affinitate communicentur atque participentur. Quod si totum corpus magis intense, vivide, immediate latentem animam manifestat, longe maiorem evolutionem atque specializationem admittunt vocis articulatae usus et ipsarum vocum mediatio sive per nuntios, legatos, histriones, sive per litteras scriptas, missas, conservatas, sive per artes technicas et recentiores. Age vero, et ipsae linguae evolvuntur. Quamvis enim aliis sit mentis et aliis linguae progressus, haud fieri potest ut alia sine alia multum proficiat, si quidem omne quod exacte cogitetur etiam exacte significetur. Quam ob causam, quasi graduum series in singulis linguis discerni potest, prout vocabulis antiquioribus magisque concretis perpetuo accedunt vocabula nova ad nova cogitata tam breviter quam accurate dicenda. Cui sane gradationi quodammodo correspondet audientium et legentium divisio, cum alii nisi voces magis elementares easque picturis illustratas intelligere non valeant, alii autem lingua evolutiori, pleniori, exactiori uti possint.

Secundum quattuor ergo vel principia vel elementa, concretionis nempe, conformationis, informationis, et mediationis, ex ipsa humanae communicationis realitate ad naturam signorum ali qualiter intelligendam processimus. Quibus perspectis, quasi colores per spectrum, ita etiam signa secundum differentias communicationis humanae dividi oportet. Alia enim sunt signa quorum magis consciit sumus, et alia quorum vix consciit esse possumus. Alia sunt signa quae solam apprehensionem afficiunt, et alia quae in partem appetitivam tam spiritualem quam sensitivam pertingere intendunt. Alia sunt signa quibus

persona personae per proprium corpus immediate significat; alia sunt per personas intermedias significata; et alia sunt ita aliis signis mediata ut totam quamdam mentis lingua-
eque evolutionem cognosci oporteat ut verus signorum sensus innotescere possit. Alia sunt signa tam brevia tamque simplicia ut ipsa per se sola significare videantur; et alia sunt quae sensum determinatum non accipiunt nisi per multa et alia signa loco forte et tempore maxime distantia. Alia denique sunt signa quae quilibet fere intelligere valet; et alia non intelliguntur sine praeparatione, initiatione, studio, imo mentis vitaeque conversione.

Dividuntur ergo signa secundum effectum conscientium vel magis inconscium, secundum intentionem magis denotativam vel magis expressivam, secundum immediationem corporalem vel mediationem quae fit vel per alias personas vel per ipsam signorum evolutionem atque elaborationem, secundum extensio-
nem contextus, et secundum capacitatem accipientis. Tanta enim est signorum vis et eo usque extenditur eorum effi-
cacia, quantum valeat spiritus humanus et incarnatus in aliud si-
bi similem influere.

Quae cum ita sint, ad aliud longe perfectius signo-
rum genus mentem paulisper elevemus. Nam Dei Verbum caro
factum sua carne non solum quae humanae naturae sed etiam
quae divinae sunt personae manifestat, exprimit, communicat.
Quae sane signa, sicut et caetera, elementis concretionis,
conformationis, informationis, mediationis ita constant, ut
tamen a caeteris eminentia significantis differant. Quae

per signa intendere et efficere potest spiritus humanus,
ea omnia clarius, distinctius, efficacius potest Christus.
Quae autem humani spiritus intentionem superant et
efficaciam excedunt, intra proportionem iacent divinae
personae. Analogice ergo inter se comparantur signa a Christo facta
et caetera, neque per easdem normas haec et illa mensurantur.
Utrinque invenitur potentia instrumentalis ad totam formandam
vitam, inde a latentibus et inconsciis structuris dynamicis,
usque ad intellectus vim, voluntatis aspirationem, cordis
sinceritatem. Utrinque invenitur unitatis instrumentum quo
homines tam exterius ordinis bonum perficiunt quam interiorem
mentis evolutionem voluntatisque constantiam colunt. Sed
humanis signis terrestris efficitur civitas, et mysterio
Verbi incarnati inaugurator, crescit, perficitur regnum Dei.

Articulus LV

De Comparatione Bonorum.

Quaecumque in ipsa sua ratione contradictionem internam non includant, absolute potest facere Deus.

Porro, divina sapientia totum posse divinae potentiae comprehendit; non enim alia et minor est divina sapientia sed una et realiter eadem ac ipsa divina potentia. Proinde sapientis est ordinare. Et ideo dicendum est tot esse ordines rerum seu mundos possibilia ordinanda.

Praeterea, finis creationis est divina bonitas manifestanda, neque infinita sapientia a fine deficere potest. Quilibet ergo mundus possibilis ita sollerter per divinam sapientiam ordinatur ut ab infinita bonitate divina eligi possit ad eamdem bonitatem divinam digne manifestandam.

Quibus perspectis, statim elucet tribus quasi elementis componi bonum creatum. Primum enim est elementum potentiale quod in singulis possibilibus cernitur. Alterum est elementum formale quod in ordinatione sapienti perspicitur. Tertium denique est elementum actuale seu valor, quod in proportione ad finem et ideo in eligibilitate consistit.

Quod autem in omni bono create invenitur, in bonis humanis adsit necesse est. Nec cuiquam dubium esse potest, bona particularia ad elementum potentiale pertinere, bonum ordinis ad elementum formale, bonum denique culturale, quo homo ad veram sapientiam producitur, ad elementum actuale seu ad valorem.

bona enim particularia, si singula seorsim considerantur, infra proportionem humani appetitus inveniuntur.

Nam appetitiones perpetuo recurrunt et ideo, ut bona correspon-

dentia pariter recurrent, systemate quodam dynamico ordinari debent. Quod sane sistema bonum ordinis est, quod ad bona particularia comparatur sicut forma artificialis et dynamica ad materialia arte ordinata. Proinde, cum ordines possibiles sint multi, neque de ulla re tam acriter tamque vehementer disputatione, imo et dimicent, homines quam de ordine quodam nuper invento sive technico, sive oeconomico, sive politico tertium quoddam est humani boni elementum quod valores respiciat, quod iudicium sapiens et voluntatem bonam reddere intendat, quod bonum culturale nominetur.

Neque his tribus ratio hierarchica deest. Tanto enim bonum ordinis bonis particularibus maius est, quanto certa atque continua bonorum series singulis seorsim bonis praeferrenda est. Tanto autem bonum culturale bono ordinis praestat, quanto sapiens progressus in ordines semper meliores anteponitur insipienti regressui in mala semper peiora. Sicut enim bonum ordinis facit ut bona particularia continuo recurrent, ita bonum culturale facit ut continuus ordinis fluxus atque mutatio non solum aberrationes evite sed et in melius semper vertatur.

Cum tamen homo factus sit ad imaginem et similitudinem Dei, ita divinam perfectionem participat ut non solum sit bonum quoddam originatum sed etiam bonum bona originans. Imaginatione enim bona particularia atque sensibilia representat; inquisitione, intelligentia, et conceptione eadem ordinat; reflectione, iudicio, voluntate de imaginatis et ordinatis decernit. Sicut ergo originata bona

ut quod, est ipse homo et, ut quo, est actio repraesentandi, ordinandi, decercenti. Praeterea, cum homo ab homine dependeat, eo usque divinam bonitatem participamus ut non solum bona originata sed etiam originantia producimus. Quatenus enim bonum ordinis externum cognoscimus, volumus, facimus, novam hominum generationem procreatam, nutritam, caeterisque vitae instrumentis donatam efficimus. Quatenus autem bonum culturale conservare atque promovere studemus, (1) imaginationem humanam ita evolutam volumus ut quocumque bonum intellectu concipiatur etiam signis claris atque exactis imaginatione repraesentari possit, (2) intelligentiam humanam ita arte et scientia perfectam volumus ut sollerter ordinare possit non solum sensibilia bona particularia sed etiam spiritualia quae per signa tantum imaginatione represerentur, (3) sapientiam denique atque bonitatem humanam tales volumus quales meliorem semper ordinem certo sciant atque efficaciter velint. Caeteris vero bonis anteponendas esse sapientiam atque bonitatem manifestum est tum propter intrinsecam dignitatem tum propter consectaria. Quo enim sapientiores melioresque sumus, eo perfectius Dei trini imaginem in nobis intus exprimimus: sapientis enim est propter perspectam evidentiam verbum verum dicere; et boni est propter bonum vere affirmatum amorem spirare.

Quod si neque sapientia neque bonitate deficimus, caetera bona omnia suo tempore sequentur, cum bona particularia per ordinis progressum continuo augeantur, et ordo proficiat secundum sapientiam iudicantis et bonitatem elgentis. Quam ob causam, docuit nos ipse Dominus: "Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicentur vobis" (Mt. 6, 33). Quod si in singulis propter dignitatem et in omnibus propter consectaria praestant sapientia atque bonitas, praeter ordinem ordinisque profectum qui exterius cernuntur, aliis quidam est ordo homini interior ut pars sensitiva rationi subdatur et debilis humana ratio summo enti, summo vero, summo bono subordinetur. Si enim regit pars sensitiva, regit animal, non qualemcumque sed quod intellectu tamquam instrumento utatur. Si autem ratio a suprema regula ultimoque fine averitur, iam insipiens facta est; iam verum ordinis bonum iudicat malum, et bonum mere apparens affirms verum; iam continuum illum ordinis fluxum in bona mere apparentia vertere nititur et brevi, novarum rerum spe elatus, quaecumque vere bona sint, destruere conabitur. Quae cum ita sint, summi cuiusdam pretii est ordo ille interior quo ratio Deo et pars sensitiva rationi subditur. Quod quidem in omni rerum statu verum esset, in praesenti autem magnum fidei mysterium est, cum homo naturalibus suis viribus non relinquatur sed supernaturaliter adiutus ad ipsum divinum bonum fruendum destinetur. Quam ob causam, etsi forte disputari possit utrum in ordine quodam alio, hypothetico, et mere naturali, homo ordinatus in se ipso ordinem quemdam interiore producere possit, in actuali tamen rerum statu ex infusis gratiae donis iisque solis ita rectus ordinatusque homo efficitur, ut filius Dei adoptivus constitutus, et Spiritus Sancti templum exsistens, accessum personalem ad Deum Patrem habeat.

Quibus perspectis, quanti momenti sint relationes personales facile concluditur. Sicut enim per habitudines, quibus persona personis coniungitur, maxime solidatur eorum exterius ordinis bonum qui comunem atque crescentem bonorum seriem coordinatis operationibus secundum instituta communia et

secundum habitus usu cotidiano inductos prosequantur, ita etiam bonum culturale, quod exterius ordinis bonum salvat atque perficit ultimam suam perfectionem atque efficaciam ex iis habitudinibus habet quibus per gratiam sanctificantem Fatri per Filium in Spiritu coniungimur et per gratias actuales imaginem Dei trini, unusquisque suam, in nobis ipsis exercemus atque augemus.

Articulus V

De Malo

Malum est quod bono opponitur.

Quia ergo bonum dicit et ens et concretum et omnia, relinquitur malum nullam realitatem positivam habere. Quare, non est essentia quaedam mali, et multo minus existit malum per essentiam seu summum malum. 7

Quia vero bonum dividatur in originans et originatum, et bona originata dividuntur in bona particularia, bonum exterius, et bonum culturale, sequitur malum bono oppositum pariter dividi, ut sint malum originans et mala originata, et ut haec in mala particularia, in malum ordinis, et in malum culturale dividantur.

Praeterea, sicut bonum ordinis importat (1) seriem quamdam continuam et certam bonorum particularium (2) operationes coordinatas, (3) harum expeditionem tum per instituta tum per illam naturam secundam quae habitibus constituitur. et (4) personales amoris relationes, ita malum ordinis pro sua gravitate his omnibus plus minus opponitur. Dicit ergo malum ordinis seriem quamdam continuam et certam malorum particularium, (2) defectum tam operationis quam coordinationes, (3) harum impeditioinem sive per vitia sive per instituta inepta, et (4) personales relationes quae suspicionibus, querelis, rixis, disidiis, simultatibus, bellis, odiisque signantur. Ulterius, sicut bonum culturale continuum illum exterioris ordinis fluxum in melius semper dirigit, et quodammodo loci et temporis limitatione liberatum, ita interiorem hominis perfectionem promovet, ut singuli, altioribus et spiritualibus indigentiis attendentes, homines veri nominis existant, et omnes in unam quamdam civitatem culturalem convocentur, ita malum culturale pro sua gravitate his omnibus opponitur. Sicut enim sapientia et bonitas ordinem mutabilem in melius, ita insipientia et malitia eundem in peius vertunt. Sicut bonum culturale ex materialibus in spiritualia hominem manuducit, ita malum culturale ex spiritualibus ad materialia hominem revocat. Sicut bonum culturale hominem ita liberare contendit ut, suae dignitatis conscius, determinismos sociales frangat ita malum culturale in externum et materialem processum hominem retrudit. Sicut bonum culturale animorum unitatem intendit, ita psychologicis vel vi et armis, vel indigentiis oeconomicis, vel insidiis, malum culturale, exteriorem uniformitatem imponit.

Quae originata mala, sive particularia, sive ordinis, sive culturae, ex malo originante procedunt. Quare, cum homo sit bonum originans per imaginationem, per intelligentiam, et per rationalem libertatem, per defectum

intelligentiae impeditur repraesentatorum ordinatio; per defectum libertatis rationalis, aut peior ordinatio iudicatur melior aut melior, ut melior agnita, tamen non eligitur.

Deficit autem imaginatio, vel (1) in quantum ne sensibilia quidem bona repraesentat quae concreta, sensitiva, et forte diurna experientia nondum innotuerunt, vel (2) in quantum ad efficacem signorum usum non pervenit ut repraesentari possint tum bona spiritualia tum maiores bonorum particularium series, vel (3) in quantum ordinanti intelligentiae parum inservit, partem forte materiae ordinandae subministrans sed non totam, ut rudes subtiliora in ratione agendi omittant, frivoli et improvidentes de momento praesenti non cogitent, phantastici vivida quidem imaginatione eaque sola ducentur, excentrici et solitarii ab ea empathia deficiant quae aliorum sentimenta, desideria, timores, gaudia, tristitias, quodammodo praesentiat atque exspectet.

Intelligentia deinde deficere potest tum secundum comparationem ad materiam repraesentatam tum secundum comparationem ad rationem iudicantem. Sed quantum ad primum attinet, intellectus nisi per accidens non deficit. Quae enim intelligibilis unitas vel relatio in imaginatis perspicitur, illa sane iisdem imaginatis propria est. Sicut tamen in speculativis alia accidit imaginatione repraesentari et re vera alia sentiri, ita etiam in practicis accidit alia repraesentari et alia de facto evenire. Quod sane accidens ille non excludit qui, primo quodam intelligendi actu contentus, non ulterius inquirat utrum res vel situatio secundum omnes suos aspectus ita se habeat prout imagine repraesentata est. Imo, cum practica etiam sint futura, cum futura incerta sint, non solum diurnior rerum usus requiritur ut pedetentim evolvatur intelligentia practica, sed etiam, hac evolutione peracta, perpetuae manet cuiusdam vigilantiae necessitas ne olim peritissimi iam nunc ineptiores inveniamur.

Quod si deficere potest intelligentia relate ad ea quae imagine repraesentantur, longe facilior atque communior est defectus relate ad iudicium praeparandum.

Nam sapientis est iudicare. Sapiens autem non est qui hanc tantummodo illamve materiam rite intelligit, et multo minus sapiens est qui nullam materiam perspectam habet. Sed plus quam humana est sapientia quae in omnibus et singulis rebus intellectis fundatur. Et ideo relinquitur eatenus ad sapientiam humanam pertingi, quatenus per quandam ipsius intelligentiae intelligentiam summa saltem omnium rerum lineamenta perspiciuntur, isque earum ordo mutuaque interdependentia innotescunt, ut et vana dubia sperni possint et fundata dubia admittantur, ut insolubiles quaestiones qua tales agnoscantur et, quemadmodum circa solubilia procedendum sit, aperiatur. His enim ignotis, tamquam navis gubernaculo privata, huc illuc fluctuatur ratio neque ad firma certaque pervenit iudicia, cum iudicii criterion autem sufficientiae non ex singulis rebus seorsim sumptis desumi possit, si quidem omnes tam in entitate quam in bonitate inter se colligentur.

Tertio deficit homo in ipsa sua rationali libertate per quam, tum ordines intellectos, tum particularia bona intra ordines contenta, ad rationem valoris iudicando promovet et eligendo actualitate donat. Quod quidem in homine et intrinsece optimum est et caeterorum iudex atque dominus. In se optimum est ut, intra conscientiam rationalem et vi ipsius rationalis conscientiae, propter perspectum evidentiam affirmetur verum, et propter bonum vere affirmatum spiretur boni amor. Caeterorum iudex atque dominus est, cum bonorum particularium repraesentatio intelligentem ordinationem postulet, et multae ordinationes possibles, acuta intelligentia inventae, rationalem comparationem, evaluationem, electionem exigant.

Optimi autem pessima est corruptio. Quod enim deficit rationalis conscientia, hoc factum quoddam est. Cur autem deficiat, neque causa proportionata neque vera ratio assignari potest. Malum enim quod rationali conscientiae opponitur, irrationale est. Quod irrationale est, eius nulla est vera ratio, secus irrationale non est. Quod irrationale est, eius nulla est proportionata causa; quod enim in homine, ratione inferius, in actus humanos influit, non plena et proportionata causa actus humani existit, sed incompleta et partialis quae complementum rationalis iudicij liberaeque

electionis per se exspectet. Cur ergo peccaverint angeli? Cur Adamus? Non est "cur"? Imo si fuisset "cur", non fuisset peccatum. Nam propter veram rationem rationaliter iudicat et eligit conscientia rationalis; et qui per rationem eamque veram dicitur, ille non peccat. Quod si alia praeter rationalem conscientiam assignetur causa proportionata, processus non rationalis sed mere naturalis fuisset, ut iterum excludatur peccatum.

At si caeterorum iudex dominusque corrumpatur, corrumpantur caetera necesse est. Imo, ipsa profectus ratio atque vis in vim quamdam regressivam atque destructivam convertitur. Ideo enim exterius ordinis bonum ex parvis quibuscumque initiosis per meliora semper inventa in maxima civilizationis perfectionem procedit, quod ipsa materialia sunt in potentia intelligibilia. Nam nisi iis potentialis intelligibilitas inesset, nulla esset actualis intelligibilitas ab intellectu invenienda, a ratione iudicanda, a voluntate eligenda; quae si non esset, nullatenus bonum ordinis vel existere vel augeri posset. Sed, uti nuperrime vidimus, quod deficit conscientia rationalis irrationale est, nullam veram rationem habet, neque causa eius proportionata assignari potest. Quod si irrationalis et absurda est, voluntatis electio, pariter irrationalis atque absurda est consequens actio; si irrationalis et absurda est actio, haud minus irrationalis atque absurda est obiectiva situationis mutatio. Iam vero, totalis obiectiva situatio ex parvis et accumulatis mutationibus constituitur. Qua ergo lege ex primitiva penuria ad maximas civitatum divitias proceditur, eadem lege per parva sed accumulata irrationalia ad situationem penitus irrationalem pervenitur. Quatenus vero situatio irrationalis est, quatenus absurda est, eatenus ne potentia quidem intelligibilis est. Scatent ~~per~~ problemata, sed desunt solutiones, cum problema ad solutionem comparetur, sicut intelligibile potentia ad actu intelligibile. Febrili quadam activitate quaerantur remedia sed frustra, cum ea tantummodo intellectu inveniri possint quae morbum aliud in aliud forte peorem commutent.

Maxima sane est vis intellectualis, cum potens sit omnia facere et fieri;

et fieri; tanta tamen non est ut absurdum actu intelligat; et ideo post multa et vana tentamina alii de rebus humanis desperantes in solantium deserti confugiunt; alii alias et novas semper et exquisitiores invehunt doctrinas, ut omnes diversa opinantes circa nullum fere commune consilium consentire possint; alii denique, novarum rerum prophetae, hominem iudicant animal quoddam symbolicum, humanumque ordinis bonum in eo ponunt quod socii maximis et gravissimis poenis perterriti efficiantur dociles ut, dociles facti, per vacuam quandam propagandam regantur.

Quo tamen in carcere quis custodit custodes? Quoniam captivorum gregem ducunt, qui non sapientia neque bonitate sed sola potestate emineant?

His igitur perspectis, non solum progressivum sed etiam regressivum esse constat motum illum circularem, quo situatio in intelligentiam, intelligentia in voluntatem, voluntas in actionem, actio denique in situationem mutandam agit. Proficit sane exterius ordinis bonum, quatenus potentiam situationis intelligibilitatem actuat diligens intellectus. Sed quatenus subrepit absurdum, eatenus amor in odium, virtutes in vicia, instituta in instrumenta nequitiae, coordinatio in pugnam, operatio in inertiam, bonorum profluvium in egestatem, ipsiusque intellectus ad omnia potentia in impotentia transit. Quam ob causam magna imperia magna latronia nominavit S. Augustinus; eamdemque ob causam, sicut lapides sursum in aerem projecti aliis alio altius ascendunt sed omnes in terram denuo cadunt ita in rebus humanis alii populi aliis magis bonum ordinis perfecerunt ut tamen singuli suo tempore decadentiam atque disintegrationem subirent.

Neque pertubato ordine externo, salvum tutumque consistere potest bonum culturale quod interiorem hominis perfectionem in primis intendit. Haec enim perfectio finis quidam est. Sed qualis quisque est, talis finis videtur ei. Qui ergo in bonitate inaequales sint, alii aliam iudicant interiorem hominis perfectionem; qui autem de fine non consentiant, de mediis aptis dissident ut eadem studia, eadem scholae, iidem magistri aliis

humanitatis et veritatis fontes, aliis autem tristia antiquitatis monumenta esse videantur.

Quae tamen mentium divisio paulo altius consideranda est. Aliud enim est bonum culturale quod naturali desiderio intelligendi, rectitudinis, verae felicitatis, et immortalitatis concipitur atque evolvitur. Aliud autem est bonum culturale quod concretis humanae vitae adiunctis ita accommodatur ut theoria et praxis non toto caelo inter se distent.

Illud enim ex altissimis humanae naturae radicibus depromitur ut pulcherrimum quoddam ideale definiatur. Hoc autem usui coditano consonum est. Quae quidem duo eo magis inter se distant, quo magis concreta humanae vitae adiuncta et cotidianus existentium hominum usus inficiantur absurdo. Quam ob causam, qui bonum culturale et ideale prosequuntur, otiosum finem quaerere videntur, cum ideale illud ab existentibus hominibus nimis alienum inveniatur. Qui autem bonum culturale concretis vitae adiunctis accommodant, bonum illud detorquent atque corrumptunt, cum illud absurdo consonum faciant.

Neve hanc conclusionem miremini. Prima enim alienatio facta est cum intra rationalem conscientiam exortum sit irrationale. Quo admisso, fieri non potest quin cultura et vita, theoria et praxis, ideale et reale ita inter se opponantur, ut alterum alteri alienissimum iudicetur. Tolleretur sane haec alienatio si converteretur vita, reformaretur praxis, trasformaretur reale. Sed stante primo irrationali, neque vita convertitur, neque praxis reformatur, neque reale transformatur. Stante primo irrationali, aliam minusquam arduam rinvicidunt homines viam, ut cultura vitae accommodetur, theoria praxi adaptetur, et ipsum ideale quasi mythus vel somnium reputetur.

Prima ergo alienatio, qua ipsa rationalis conscientia contra se dividitur, in aberrationem culturalem abit. Ipsum bonum culturale, quod aptum natum est ad interiorem hominis perfectionem communicandam atque augendam, prava honestis et falsa veris admiscet atque confundit. Non minus quam exterius ordinis bonum, bonum etiam culturale tam legi regressus quam

progressus legi subicitur. Ubi tamen ordo exterior, rebus inhaerens, certo loco certoque tempore restringitur, neque deficere potest quin per manifestam inefficaciam, decadentiam, disintegrationem vitia sua omnibus inscienda exhibeat, culturale bonum, signis inhaerens, non solum omnia loca et tempora pervadere potest, sed etiam ita corrumpitur ut corruptionem suam tegat, ita falsa disseminat ut vera reputentur, ita mala spargit ut hominibus minus rationalibus maxime placeant.

Cuius alienationis signa atque consectaria ubique inveniuntur. Qui primi induxerunt idola ad numen supremum repraesentandum, non solum homines sensibilibus immersos ad Deum etiam ad homines conducere volebant. Venatores qui animalia quasi deos colebant, agricultores quideas fertilissimas fingebant, nomades qui corpora caelestia venerabantur, communem diversi voluntatem habuerunt ut religio concretis vitae adiunctis non aliena sed consona atque intellectu facilior videretur. Quod si imperatores multas et diversas gentes in unum regnum subiciebant, sacerdotes singularum gentium deos in unum pantheon adunabant, ut mythologi collectionem genealogiis explicarent. Esto magnos philosophos crisin deorum instituisse. Sed ab ipsis fere initiiis multae et oppositae fuerunt philosophiae, neque purissima quaeque et altissima etiam concretis vitae adiunctis maxime consona invenitur; imo, dum Academia ad scepticismum, dum Lycaeum ad empirismum, dum elevatio Plotini ad miras Iamblichi superstitiones quasi humano pondere declinantes vergebant, satis sibi constabant qui partes atomistarum et Epicureorum placita sustinuerunt. Neque antiqua suggerimus exempla quasi deessent recentiora. Si enim angustiis premimur, non solum propter exteriorem ordinem periclitatem angimur, sed etiam propter profundam atque fere universalem animorum alienationem. Nobiscum Protestantes ita religionem positivam et supernaturalem retinent, ut tamen illi ecclesiam visibilem et vera auctoritate praeditam reiciant. Nobiscum liberales personalem integritatem, libertatem, responsabilitatem ita laudant, ut tamen illi omnem religionis supernaturalis utilitatem vel possibilitatem negent. Nobiscum totalitariani

exterioris boni augmentum iustumque distributionem praedicant, qui tamen omnem religionem funestam deceptionem et omnem aliorum philosophiam ideo-
giam iudicent. Quibus profundioribus differentiis accedunt multa et alia undeque provenientia, ut dividantur primitivi populi et magis exulti,
occidentales, et orientales, singulae nationes, classes, coetus, imo et homines
diversi coloris, neque solum ob actuales difficultates sed etiam propter
acerbam praeteriti temporis memoriam futurique iustum terrorem. Quod ergo
intra rationalem conscientiam exoritur irrationale, et hominem ipsum sibi
alienum facit, et homines inter se, et homines a rerum natura. Quae tamen ma-
la, etsi fere innumera atque gravissima, tamen minora sunt. Fecit Deus hominem
ad imaginem et similitudinem suam. Fecit hominem rationalem ut, sicut Filius
a Patre ut Verbum et sicut Spiritus sanctus a Patre Filioque ut Amor pro-
cedunt, etiam homo suam quisque Dei trini imaginem exprimat, cum vi conscien-
tiae rationalis verum propter perspectam evidentiam affirmet et boni amo-
rem propter bonum vere affirmatum spiret. Fecit hominem personam ut, sicut
divinarum personarum una est tribus communis essentia atque operatio, ita
etiam personae humanae communi ordinis et culturae bono fruerentur. Fecit
Hominem personam Deo similem ut eum diligeret, in filium adoptaret, in vitam
aeternam produceret. Ab hac tamen divina intentione recedit qui oblatam
Patris amicitiam, et collatam Filii assimilationem, et inhabitantis Spiritus
consuetudinem, et vitae aeternae spem indeclinabilem noluit. Quod nolle,
peccatum est, Dei offensa est, alienatio a Deo est. Sed cui Deus alienus est,
ei verum per essentiam alienum est, ei bonum per essentiam alienum est, ei
ens per essentiam alienum est. Qui his alienus existit, omni vero, omni bono,
omni enti alienus reapse est, cum ea quae per participationem dicantur
eatenus vera, bona, entia sint quatenus illud participant quod per essentiam
verum, bonum, ens sit. Qui tandem denique Deo et sibi et hominibus et reliqua
naturae alienus est, qui toti vero, toti bono, toti enti alienus est, quid ei
dici potest ab ipsa divina bonitate praeter illud, "Discidite a me maledicti
in ignem aeternum." (Mt.25,41). Discedunt quia accedere noluerunt.

Maledicuntur quia mali sunt. Abeunt in poenas aeternas, non fallibili iudicio vel inepta lege humana, sed divino decreto quod, quamvis intellectum nostrum excedat, divinitus tamen revelatum certo credimus et ex divina sapientia atque bonitate processisse certo scimus.

ARTICULUS VI

E M A L I S B O N U M

Sicut bona nexus multiplici inter se colligantur, ipsaque mala; bono oppositam mutuato quodam ordine aliud ex alio procedit, ita e malis in bonum renovari atque restaurari potest mutabilis atque materialis creatura.

Nam in primis ipsa numerica rerum multiplicatio perpetuam quamdam renovationem importat. Moriuntur senes iam correctionis incapaces, sed vitiis nondum acquisitis nascuntur parvuli. In singulis praeterea populis ita decidit atque collabitur exterius ordinis bonum, ut tamen alias populus minusque corruptus, quasi lampada acciperet, artes ab alio inventas ordinemque ab alio institutum in novam perfectionem adducere possit. Bonum denique culturale ita prius aetate extingui potest, ut denuo, sub aliis adiunctis apud alias renascatur; quod nobis notissimum est, cum culturam occidentalem formaverint poetae, geometrici, philosophi graeci, iurisque consulti romani. At praeter hanc renovationem fere materialem, qua ita interit malum ut in alio servetur bonum, etiam verioris nominis existunt conversio e malis bonorumque restauratio, ut sive in individuo, sive in societate, sive in processu historico, ipsa malorum particularium perpessio ordinem doceat, mala ordinis bonum culturale promoveant, et mala culturalia redemptorem divinitus missum flagitent.

Omnino enim perspicuum est e malis particularibus perpessis addisci ordinem. Nam ea lege vel naturalem vel stabilitum rerum ordinem addiscimus singuli ut, ubi sensus negligentior vel intellectus segnitor fuerit, per perpessum dolorem vel damnum cautiores et acutiores in posterum efficiamur. Quod autem singulos singula et particularia docent mala, idem multiplicate et particularia mala docent societatem. Minus enim homines trahit futurae abundantiae spes incerta, quam impellit praesens atque onerosa miseria ut, expertis et probatis consuetudinibus relictis, novam quamdam

rerum ordinationem invehant,tentent,accipient.

Quid autem mala faciant ut in individuo interior perfectio vel in societate augeatur bonum culturale,breviter et simpliciter dici non potest. Nam si ea excipias quae universale Dei dominium respiciant,nisi dispositive non influunt caetera in usum rationalis libertatis. Quare ne simillimis quidem ex causis semper exspectandi sunti similes effectus. Neque in rebus humanis,ubi tanta est varietas,facile inveniuntur causae re vera similes. Quae ergo subiungemus exempla,magis quid responderi posset innuunt quam firmam certamque legem statuere volunt.

Iam vero corporis animaeque humanae unio substantialis adeo intima est,ut malum corpori inflictum novam quamdam dispositionem menti voluntatique imprimere solet. Quod metaphysice dictum,etiam psychologice exprimi potest. Quae enim in plantis cernitur "lex effectus",vel plenius in consciis valet,ut fructuosa operatio eiusdem repetitionem evocet,infructuosa autem appetitionem et nisum diminuat forteque extinguit. Quam ob causam,praxis ascetica liberationem quamdam spiritus producit, cum sensitivos appetitus hebetet atque obtundat,totiusque conscientiae orientationem in altiora quodammodo dirigat. Quem finem etiam intendunt parentes qui filios castigent,et simul alium,quem superius diximus,ut ex perpresso malo stabilitus rerum ordo certius et efficacius addiscatur. Quod si ad poenas legales transimus,non invenimus nisi quamdam analogiam. Ubi enim parentes interiorem filii ordinem intendunt,ut pars sensitiva rationi subdatur et ipsa ratio erudiatur,auctoritas publica non privato sed publico bono consultit,cum malos carcere includat vel capite damnet,ut caeteri scilicet tum legem addiscant tum ad legem observandam salutari quodam timore impellantur. (8)

Quibus exemplis illud commune est quod particularibus malis non solum moventur individui ad ordinem addiscendum sed etiam ipsa mali per pressione vel eiusdem timore ad bonum efficacius volendum convertantur.

Aliud ergo genus aggredimur,si eos consideramus qui ex aegritudine vel

mala fortuna resipiscant. Non enim ex particulari quodam malo eoque solo moventur, sed potius ex tota vitae ratione collapsa. Nam quod olim omnibus viribus et fere continuo intendebant, iam infirmitate corporis vel opum egestate ex inopinato iis subtrahitur. Novum vivendi modum atque rationem excogitare debent, neque otium iis deest ut paulo altius ascendent, in ipsam humanam conditionem inquirant, sensum finemque huius vitae meditentur, quid sapientia, quid bonitas dictitent et attentius considerent et honestius decernant.

At maius quoddam exemplum remanet. Sicut enim homo particularis super totam suam vitam reflectitur ut eam deinceps sapientius atque honestius ordinet, ita etiam exsistit universalior quedam reflectio quae ordinem universi inspiciat, quae systematice hominis munus finemque excogitat, quae principiis exinde inventis, crisi subicit tam interiorem hominis vitam quam exterius ordinis bonum. Quam sane reflectionem usitato nomine philosophiam nuncupamus. Sed sicut nomen ita rem ex Graecis habemus. Et cum ipsa res etiam minus a primitivis quam ab hodierno vulgo sit percussa, quibusnam sub adiunctis ortum sumpserit (quantum fieri potest) dicendum esse videtur.

Primae ergo et magnae civilizationes, quales in Aegypto et Mesopotamia (post a. 4000 a. C.) novimus, secundum flumina Indus (post 3000) et Hoang-ho (post 2000), in Mexico et Peru (post Christum), ita exterius ordinis bonum ad magnam deduxerunt perfectionem ut organizatione scriptis regulata uterentur, publica opera maxima utilitatis summa sollertia facienda curarent, exercitibus coactis dominium proprium late extenderent, urbesque magnis aedificiis stylo nobis exoticō ornarent. At eo non pervenisse videntur ut mentalitatem quamdam mythicam excuterent, ut ultimas explicite ponerent quaestiones, ut ratione duce et personalis libertatis concii omnia crisi subicerent. Quod tamen brevi quodam temporis intervallo (ab a. 800 ad 200 a. C.) factum est in Sinis, in Indis, inter Graecos ubi mythus expugnatus est, ubi omnes cuiuscumque fere indolis philosophiae

sunt exortae, ubi crisi subiecti sunt dei, religiones, consuetudines, instituta, ubi praedicatae sunt moralitas rationalis et personalis responsibilitas. Quo tempore effloruerunt neque magni imperii tranquillitas neque stabilis et bene organizata prosperitas sed, uti fieri solet inter multas parvioresque civitates statusque rebus prosperis citius succedebant bella saevique triumphi. Praecessisse ergo videntur primae civilizationes, ut artes atque instituta ab aliis inventa alios pararent, qui in rebus incertis altiore illam reflectionem peragerent, superiorisque culturae ea posserent fundamenta, quae hodie usque maximum quoddam haberent momentum.

At eiusdem tendentiae exemplum ipso nostro tempore praebetur. Nam mala ordinis sane patimur, qui ex primo quodam et fere universalis bello in gravissimam et fere universalem crisin oeconomicam processimus, ex crisi in alterum et fere universale bellum, ex altero denique bello in communem illam insecuritatem atque impotentiam quam experimur omnes. Quae tamen ordinis mala de se neque sapientiam donare neque bonitatem conferre possunt. Eatenus tantum se extendit eorum efficacia ut hominem ad reflectendum disponant, neque ipsa effecta dispositio ambiguitate caret, cum quidquid recipiatur ad modum recipientis recipiatur. Qui iam pridem absurdo decipiuntur, illud omnibus viribus faciendum surant ut caetera quaecumque absurdo consona atque accomodata fiant. Qui absurdum undenam sit certo sciunt, ita ideale tuentur ut quid boni facere possint parum perspiciant. Qui perplexi et ancipites inter haec extrema haerent, tam doctrina quam actione deficiunt. Sed si fructus vel parvus vel nullus perspicitur, profunda quaedam peragitur præparatio. Minus iam audiuntur qui paulo ante audacter annuntiabant progressum humanum esse spontaneum, automaticum, necessarium. E rebus naturalibus in ipsum hominem convertitur attentio, ut de homine authentico quaeratur et de multiplici alienatione humana consideretur. Quot fundamentales erant directiones seu orientationes philosophicae, tot remanent; sed maximum illud intercedit discrimen ut ipsae orientationes, quas nuperrime nisi in libris et scholis nemo fere magni

fecerit, iam ex ipsa nostra situatione concreta sensum, vitam, realitatem, valoreme accipere videantur. Qui enim ita se impotentes sentiunt ut nihil intendant nisi quam maxime frui bonis immediatis, bene intelligunt atque quum illud praeceptum, Carpe diem. Qui de homine authentico loquuntur, in memoriam eos revocant qui olim de homine caelesti, de autanthropo, de sapiente disserebant. Subtilissime nobis exponitur quid significet se-esse (10) quod tamen antiquitus illo innuebatur praecepto, Cognosce te ipsum. "Alienatio" et "absurdum" ita sonum edunt novum, ut vetustum dicant peccatum. Neque ipsa mors, e latebris repressae conscientiae nuper liberata, alium praebet aspectum quam inimicum illum atque formidolosum quem supponunt scripta paulina. Reflectionis ergo contemporanea signa sunt clarissima. Eo usque communibus indigentiis respondent, ut in ipsis litteras humaniores haud parvum influant. At alia est reflectio, et alia est salus. Sicut enim "lex paedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur" (Gal. 3, 24), ita rationalis conscientia per reflectionem evigilat atque disponitur ut ad perfectiora perduci possit. Sicut autem "ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati" (Rom. 3, 20), ita etiam mala particularia et mala ordinis quae patimur ad reflectionem nos movent, sed ipsa reflectio manifestat nos absurdo esse implicatos quin ex absurdo nos extricet, et multiplicem nostram revelat alienationem quin reconciliationem conferat.

A R T I C U L U S VII

D E I M P O T E N T I A H U M A N A

Ita e malis in bonum renovari atque restaurari humanum genus, diximus, ut mala particularia in bonum ordinis hominem impellant, et mala ordinis in bonum culturale hominem disponant, quin tamen ipse homo mala culturalia evincere possit. Quae sane potentia quam sit nefasta, perspicuum est; nisi enim eradicantur mala culturalia, insipientia atque malitia manent in disordinationem atque corruptionem hominis interioris, ut ordo exterior perpetuo in peius commutetur, et particularia minuantur bona malaque multiplicantur, donec penitus extinguantur bonum humanum. Regnat enim peccatum in mortem. Cur autem homo ita sit impotens, quamvis libero polleat arbitrio?

trio, quaestio obscurior multis videtur, quam tamen praeterire haud possumus. Nam ipsa humana in bonum impotentia non solum manifestat quaenam sit te-nebrarum potestas diabolique potentia sed etiam, cum contraria contrariis carentur, viam indicat quam incessit Dominus et Salvator noster ut nos a malis liberaret et in bonis confirmaret. Quam ob causam, humanae impotentiae quattuor quasi radices exponamus oportet, nempe, et intellectus obscuracionem, et voluntatis inefficaciam, et obiectivam boni difficultatem, et ipsam denique a Deo alienationem. 12)

Et in primis nemo non videt quanta efficacia et bonum impedian malumque necessitent ignorantia atque error. Voluntatis enim est intellectum sequi et ideo, nisi antecesserit vera boni cognitio, sequi non poterit vere boni volitio. Quod quamvis subiective culpa carere possit, obiective tamen perpetuum quemdam malorum fontem constituit; non enim fragilitate vel incostantia ab ignorantie vel errante fit malum, ut sperare possimus eum interdum saltem fragilitatem esse superaturum bonumque facturum, sed ei virtus est atque perfectio ut optimum quod cognoscat faciat, quod tamen optimum bono inferius atque contrarium est.

Dixerit tamen quispiam ignorantie atque errantes addiscere posse. At qui addiscere potest, non tamen addiscit nisi vult; neque vult nisi bonum addiscendi cognoscit. Quo facilius ergo addiscendi bonum perspicitur, eo plures et fidelius et ardentius addiscendi labori incumbunt. Florent ergo artes technicae et scientiae naturales, neque eas negliguntur scientiae humanae e quibus sperari potest quoddam bonum hominibus obveniatur. At ipsa haec spes ignorantia et erroribus ita coarctatur atque limitatur ut, quo magis studia ad sapientiam gignendam et ad virtutem promovendam accedant, eo pauciores inveniantur qui seriam atque constantem addiscendi voluntatem exhibeant. Neque horum paucorum una est mens, unaque sententia. Sed ita in multas et oppositas abeunt partes ut, si solos philosophos adeas, nullum fere videatur ad verum quod disputari non possit, et

nullum fere bonum quod omni dubio maius existat.

Neve hanc ignorantiam credas casu accidere, quasi sperare liceret hominem aliquando meliori fortuna esse usurum, ut his de tenebris ipse se eriperet atque liberaret. Quae enim ab omnibus hominibus expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore innotescere soleant, non solo interioris lucis criterio iudicantur, sed etiam usu atque experientia constant. Sicut enim primitivi profana et practica quasi ratione duce obeunt, ut tamen sacra mythis commisceant et, quodcumque longius ab immediata experientia iaceat, artibus magicis regere conentur, ita etiam moderni in naturalibus scientiis maxime proficiunt ubi experimenta excogitari atque applicari possint, humanasque excolunt scientias quatenus ad instar naturalis scientiae reduci posse videantur, sed caetera incognoscibilia conclamitant quasi ipsa haec ritualis fere verborum iteratio anxios suos animos quodammodo demulceret. Cuius rei ratio haud obscura est. Ut enim superius diximus, qui puro intelligendi desiderio verique amore ducantur, ea concludunt quae aliena nimis a concretis vitae adiunctis usque humano videantur; qui autem ipsi conditioni atque situationi humanae inhaereant, per irrationale illud atque absurdum decipiuntur, quod ex conscientia rationali sed deficiente in actiones et per actiones in totam humanam vitam procedat atque penetret. quos enim fingebat Plato in spelunca ligatos qui nisi umbras numquam vidissent, ipsi sumus peccaminoso huic mundo ita assuefacti, ut absurdum censeamus quod consueto absurdo parum conveniat. Quod si pauci quidam e specu elapsi in solis lucem condescendunt, vel quod ipsi vident quodammodo dubitant, vel certi aliis vix persuadere possunt. Quae cum ita sint, solemniter docuit conc. Vaticanum relativam illam divinae revelationis necessitatem "ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint" (DB 1786)

Cui intellectus obscurationi accedit voluntatis inefficacia. (13)

Libero sane pollemus arbitrio. Quod tamen quid sibi velit et quo usque

valeat, iam perpendendum est.

Et in primis dicendum est libertatem humanam ita circa obiecta versari et ita in actibus consistere, ut aut velle aut nolle possimus ut hoc vel illud eligere in nostra potestate ponatur, ut ~~haec~~ in verum bonum intendamus aut ab hac intentione deficiamus.

At deinde addendum est inter nudam volendi potentiam et ipsum secundum volendi actum alios intercedere primos actus, qui facile vel difficile mobiles sint, et dispositiones vel habitus nominentur. Quare per nudam potentiam in illa indifferentia invenimur, qua aequaliter ad quodlibet obiectum inclinamur; per actum secundum ita altero obiecto adhaeremus ut alterum reiciamus; sed per dispositionem vel habitum ita ab initiali indifferentia recedimus ut, antequam actu secundo velimus, iam actu primo ad obiectum determinatum volendum parati simus. Sicut enim in veris, omne verum intelligere potest, qui intellectum habet, ita in bonis, qui voluntatem habet, omne bonum velle potest. Sicut etiam in veris qui nudum habet intellectum, inquisitione et addiscientia indiget antequam actu intelligat, ita in bonis qui nudam volendi potentiam habet, reflectione et persuasione indiget antequam actu velit. Sicut denique in veris qui scientiam acquisiverit, cum brevissima reflectione et sine ulteriori doctrina statim intelligere potest, ita in bonis qui dispositionem vel habitum habet, cum brevissima reflectione et sine ulla persuasione statim velle potest. Quibus in omnibus ita similes sunt intellectus et voluntas ut haec maxima maneat dissimilitudo, quod habitus in intellectu receptus inclinat non voluntatem sed intellectum, sed habitus in voluntate receptus ipsam voluntatem inclinat et ideo circa usum habitus intellectualis plena manet indifferentia in voluntate, sed circa usum habitus electivi ipse habitus nihil aliud est quam inclinatio in usum sui ipsius.

Tertio, non directe sed indirecte dispositiones et habitus efficiimus. Directe enim versatur libertas circa obiecta; directe efficit

actus secundos; sed ex his secundis actibus relinquuntur in voluntate dispositiones quae in habitus formandos cumulantur atque coalescunt; et ideo indirecte tantum nostras dispositiones et habitus producimus, quatenus per seriem actuum circa obiecta convenientia qualitatem voluntatis pedetentium determinamus.

Quarto, eadem in genere est lex tam circa mutationem quam circa acquisitionem dispositionum et habituum. Sicut ergo per seriem actuum acquirimus, ita etiam per seriem actuum quod acquisivimus mutamus.

Quinto, qualibet in serie, unusquisque actus est actus liber. Neque ullum habemus liberum actum, quasi extra seriem positum, quo libere determinamus omnes liberos actus intra seriem contentos. Si enim hi actus ante determinarentur, iam liberi esse non possent. Quam ob causam, quid bonum facit propositum, seriem quamdam actuum serio intendit; quae tamen intentio nullatenus aufert libertatem quae singulis actibus competit; et ideo alia est bona intentio, et longe alia est eiusdem exsecutio.

Sexto, qui serio bonum propositum facit, nihil in sua voluntate ponit quam dispositionem suam. Bonum enim propositum unus est actus; et unus actus non est actuum series; et per solam actuum seriem fortior dispositio vel habitus acquiritur. Quam ob causam, utilissima est bonarum intentionum renovatio, cum intentione semel tantum elicita longe minus voluntatem inclinat quam dispositiones et habitus iam pridem acquisit.

Septimo, qui qualitatem propriae voluntatis mutandam decernit, diutiiori reflectione atque persuasione vehementiori indiget. Nam enim vult secundum inclinationem suarum dispositionum atque habituum, neque praeter hanc acquisitam inclinationem, sed contra eam. Reflectione ergo indeget ut, quod sponte vult, non statim velit; et persuasione indiget ut ab eo, quod hactenus dilexerit, iam abhorrire incipiat, et ut id, a quo hactenus abhorruerit, iam diligere incipiat. Neque solummodo in bono proposito eliciendo hac reflectione atque persuasione indiget. Nam ipsum bonum propositum nisi unam dispositionem non ponit; et ideo singulis

vicibus et reflecti et sibi persuadere debet, donec per actus contrarios et tota acquisita qualitas auferatur et nova atque intenta qualitas inducatur.

Octavo, eatenus ergo potest homo dispositiones atque habitus propriæ voluntatis mutare, quatenus non unum volendi actum elicit sed seriem actuum, quorum unusquisque est actus liber neque ante determinatur quam per diutinorem reflectionem atque vehementiorem persuasionem eliciatur. Quam ob causam, rarius accidit ut quis acquisitas dispositiones atque habitus voluntatis revera mutet. Non enim eiusmodi est humana vita ut, quandocumque voluerimus, rerum eventuumque cursum interrumpere possimus, donec necessariam nobis reflectionem atque persuasionem peragamus. Neque eiusmodi est constantia humanae mentis ut, quod heri optimum videbatur propositum, hodie et cras et deinceps eodem bonitatis splendore effulgeat. Imo ipsa acquisita atque mutanda voluntatis qualitas contra propositam mutationem nititur, ut menti suggerat tum omnia dubia quae propositum consilium infirmitum tum omnes difficultates quae ipsam voluntatem deterreant. Partim ergo a bonis propositis deficimus quia in repentinis reflecti nobisque persuadere non possumus, partim quia de vera bonitate consilii propositi atque decreti dubitare incipimus, et partim quia fatigati totum reflectendi atque persuadendi negotium reincipere nolumus. Quae sane frustatio minime impedit quominus toties bonum propositum renovemus quoties recidamus. At aliud est quod absolute fieri potest, et aliud quod ipsi nos aliquando facturos serio audacterque speramus. Quod si desperare incipimus, si aliis meliores nos fore dubitamus, minori fiducia et sinceritate minori ipsae boni propositi renovationes fiunt.

Nono, in multis deficimus omnes (DB 107). Non ergo uno tantummodo bono proposito ad perfectam vitae rationem procedimus, sed serie bonorum propositorum indigemus quorum unumquodque seriem bonorum actuum, a serie serierum reflectendi sibique persuadendi laborum, penitus deterrentur. At fortissimus quisque, quamvis imperterritus maneat, non ideo usque in

finem perseverabit. Nam bonum,imo optimo,propositum quod seriem bonorum propositorum respicit,omnes singulorum difficultates cumulat,ut etiam hic verissimum illud sit,aliud esse bonum velle,et aliud bonum perficere.

Decimo, quae superius de obscuratione intellectus quaeque nuperrime de voluntatis inefficacia diximus,summa quadam convenientia mutuo fulciuntur. Ignorantia enim voluntatem suam esse malam ignorat ut eam ab onere bonorum propositorum liberet. Et mala voluntas intellectum ignorantiae suae conscientum fieri mimime vult,tum quia mala est,tum quia intellectus qua ignorans vel bonam voluntatem parum movet. Quam ob causam,etsi sacra eloquia doceant hominis vitam super terram esse militiam,eamdem tamen satis pacificam probat ignorantium neque bonum volentium torpor.

Sed ad tertium transeamus caput,cum ignorantiae atque inefficacie accedit obiectiva boni difficultas. Aliud enim est,rebus adhuc integris,bonum potentia in bonum actu reducere; sed aliud longeque difficilius est,cum bonum malis corruptum sit, e malis in bonum restaurandum procedere. Neque cuipiam dubium esse potest non illam sed hanc esse nostram conditionem humana.

Nam non solum singulis malum est quod obscuratione intellectus voluntatisque inefficacia laborant,sed hoc ipsum in singulis exsistens commune quoddam atque publicum malum facit. Exterius ordinis bonum corrumpit,ut bona particularia diminuantur et mala particularia augeantur. Culturale bonum corrumpit,ne sapientia bonum a malo secernat,neve bonitas bonum eligat malumque respuat.

Quod si tot tantisque malis premimur,etiam patiamur necesse est. Si enim aliam in membris videmus legem et aliam mente perspicimus, (14) utramque simul sequi non possumus. Aut enim membrorum legi consentimur ut spiritus patiatur,aut spiritus legi consentimur ut membris patiamur. Si aliam in mundo legem obtainere videmus et aliam intellectu et ratione docemur,aut hanc aut illam sequamur necesse est; qui tamen cum mundo gaudet,animam suam perdit; et qui animam salvat,huius saeculi miseriam sustinere debet.

Neve synthesis quaeras ut duobus dominis servire possis (15), ut bono ita fruaris ut tamen malum non patiaris. Lex enim peccati regnumque peccati et ex peccato sunt et in peccato inclinant. (16) Quia ex peccato sunt, per illud irrationale seu absurdum constituuntur, quod ex defectu conscientiae rationalis oritur. In peccatum vero inclinant, quia pati nolumus, quia cum peccato commisso synthesis quaerimus, quia cum peccatoribus consociari consentimur.

Facilis ergo non est via, neque lata, neque plana, neque a multis frequentata, quae in bonum ex malis conducat. Via enim crucis est quam omnibus commendavit Dominus noster: " Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum et tollat crucem suam cotidie et sequatur me." 17

Via crucis est, quam amplexus est Dominus noster, qui a mundo damnatus est, flagellatus, cruci fixus, occisus, ut de mortuis resurgens nos doceat quemadmodum e malis ad bonum procedere oporteat.

Quod si pati nolueris, specie boni ita desipi poteris, ut mala hominibus toleranda quam maxime augeas. Absurdum enim obiectivum, quia factum quoddam est electionem nostram non tantum poscit sed exigit. Quod si voluntariam malorum perpessionem nolumus, absurdum esse absurdum atque ideo patiendum negamus. Si absurdum qua tale negamus, in facto absurdo intelligibilitatem quaerimus. Si invenire videmur quod quaerebamus, absurdum in mentem admittimus et petitim de propria sede intelligibile atque verum detrudimus. Quod his ultimis saeculis nobis evenisse suadetur. Absurdum enim erat ecclesiam Dei corruptionibus esse infectam; quo absurdo decipiebantur qui ecclesiam veram esse invisibilem protestabantur. Absurdum deinceps erat multas quae consequebantur religiones esse bellorum causam; quo absurdo decipiebantur qui omnem religionem supernaturalem esse reicendam concludebant. Absurdum denique erat singulos ita proprio atque individuali rationis lumini inhaerere ut de omnibus fere dissentirentur et ideo bono communi consulere non possent; quo absurdo decipiebantur qui rationis lumen ideologiarum fontem habebant, universale omnium dominium statui cedebant, homines in servitutem non solum corporalem sed etiam spiritualem reducebant. Qua synthesis successione ex unitate catholica in

multas religiones, ex religionibus supernaturalibus in rationalismum atque in liberalismum, ex liberalismo in totalitarismum processimus. Latam viam atque planam elegimus, iamque totius fere humani boni eversionem atque exitium timemus.

At quarta manet humanae impotentiae radix caeteris profundior, cum ideo homo ignorantia intellectus et inefficacia voluntatis et obiectiva boni difficultate laboret, quia a Deo aversus atque alienatus est. Qui enim a Deo avertitur, non se agnoscit Dei instrumentum, ut in omnibus bonum a Deo intentum invenire quaerat et inventum eligat, sed quasi prima causa esset, suis viribus fretus illud prosequitur bonum quod propria eius ratio invenerit et propria eius libertas elegerit. Qui vero prima causa non est et tamen agit ac si prima causa esse, propriam impotentiam addiscat necesse est. Cuius ratio non bonum a Deo intentum sed aliud a se inventum vere bonum esse iudicat, suam incipientiam addiscat necesse est. Cuius libera voluntas non bonum per essentiam super omnia diligit sed aliud quoddam per participationem bonum tamquam supremum atque ultimum intendit, propriam malitiam addiscat necesse est. Caeterae enim creaturae, quae irrationaliter sunt et cogitationis incapaces, a finibus suis non impediuntur quia se Dei esse instrumenta neque sciunt neque volunt. Sed creatura rationalis quae per suum intellectum suam voluntatem in finem dirigitur atque producitur, non potest suam instrumentalitatem ignorare vel nolle, quin circa finem insipiens erret, oboedientiam superbis abiciat, et a fine malus deficiat.

Quare Apostolus: "Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias agerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt... Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quae non convenient, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos,

inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque foedere, sine misericordia." 18

Et iterum idem Apostolus: "Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi nobiles; sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectus eius." 19

Et iterum: "Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis qui secundum propositum vocati sunt sancti." 20

Quare etiam S. Petrus et S. Iacobus: "Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam." 21

Quorum omnium rationem ultimam ipse Dominus dedit: "nemo bonus, nisi unus Deus." 22 Unicum enim est bonum per essentiam. Caetera autem bona sunt, quatenus divinam bonitatem participant, quatenus divina sapientia ordinantur, quatenus divina bonitate eliguntur. Qui vero a Deo aversus est atque alienatus, non solum ab unico bono recedit, sed etiam ita in alia tendit ut haec ab unico boni fonte secernantur. Non enim divina sapientia dirigatur; non divinae electioni obedit; non bona finita approbat et vult, quatenus divinam bonitatem participant; sed bona qua mere apparentia et insipiens approbat et superbis vult, ut civilizationem atque culturam absurdum infectam sibi faciat. Quod si arboris malae mali fructus ei displicent, fieri non potest ut, stante eadem aversione atque alienatione a Deo, ipse se de suis malis in bonum restauraret. Stante enim hac aversione, non divina sapientia sed sua insipientia dirigitur, non divinae electioni sed alteri cuilibet obedit, non verum bonum sed quodlibet apprens prosequitur.

A R T I C U L U S VIII

D E P E C C A T O O R I G I N A L I

Cum alic in tractatu catholica de peccato originali doctrina

exponi soleat, octavus hic articulus brevissimus esse potest et debet.

Caetera ergo mala ex malo culpae et fieri et augeri diximus, neque hominem posse, humanis viribus fretum, haec mala tollere. Cuius impotentiae radicem in eo posuimus quod, stante reatu culpae, ita homo a Deo alienatur et in habitibus operativis malis figitur ut, quod absolute facere posset et etiam facere vellet, numquam tamen faciat.

Quod sane non solum demonstrat quantum redemptione indigeat genus humanum sed etiam quaestionem movet cur Deus Pater caelestis conditio- nem humanam fecerit talem. At ipsa haec conditio non Dei opus est sed hominis. Quaecumque enim de humana potentia enumeravimus, aliud non dicunt quam obscurationem illam intellectus et voluntatis debilitatem et in bonis difficultatem et ad mala inclinationem, quae ex peccato originali profluxisse credimus. Quia vero haec omnia non solum ex interiori hominis statu provenire vidimus sed etiam per societatem humanam mediari quodammodo et consistere et transmitti, convenientiam quamdam perspicere possumus illius decreti divini quod in primo homine quasi in capite genus humanum inter conditionem bonam et quam habemus malam elegere debuit.

Caput Alterum

D E I U S T I T I A D E I

Qui iustitiam dicit, codices cogitat iurisque consultos, iudices et tribunalia, carceres et custodes, carnifices atque patibula. Sensibilibus enim immersi, eo magis unum quodque verum et reale ducimus, quo facilius sensus nostros afficit et efficacius affectum nostrum commovet.

At ipsa haec iustitiae non tam notio quam impressio minime sufficit ubi de Dei iustitia agitur. Quam enim dixit Apostolus multiformem Dei sapientiam (Eph 3, 10), eamdem divinae iustitiae legem perspici oportet. Neque eam et simplicem et infinitam, quandiu peregrinamur a Domino, contemplari possumus, sed e rebus creatis secundum analogiam procedere debemus ut imperfectam quamdam infinitae perfectionis notio^{is} n^{on} formemus.

Quem in finem non pariter inserviunt omnes et quaelibet creaturae. Pedetentim ergo hoc capite ita ex rerum ordine, ex conditione humana historicā, ex iudicio Dei personali, rationem divinae iustitiae quaerimus, ut ulteriorem eiusdem rationis perfectionē minime excludamus quae tertio capite in Verbo Dei carne facto perspici possit atque debeat.

ARTICULUS IX

DE NOTIONE DIVINAE IUSTITIAE

Cum hac in vita Deum nisi analogice non cognoscamus, ab humana iustitia ita ordiri oportet ut, iis exclusis quae Deo competere non possint, quid perfectioni divinae conveniat perspiciamus.

Humana ergo iustitia aut commutativa aut legalis, aut distributiva, autem etiam forte, si guasta distinguitur, socialis est. Nam iustitia quamdam ordinis rectitudinem dicit. Per ordinem autem eis multis efficitur unum quoddam et totum. Quatenus ergo multa et singula recte inter se ordinantur, commutativa est iustitia; quatenus eadem multa uni et toti recte subordinantur, legalis est iustitia; quatenus unum totumque ad multa et et singula recte se habet, distributiva est iustitia; quatenus denique ipse ordo rite proficit, et disputata et quarta iustitia socialis est.

Quibus perspectis, cum Deus creaturis neque coordinari neque subordinari possit, neque commutativam neque legalem iustitiam admittit. Quia vero Deus est omnium auctor atque largitor, secundum rectum huius donationis ordinem distributiva iustitia ei attribuitur. Quia denique huius donationis ordo nihil est aliud quam ordo tetius universi creati, qui immutatus omnem partialis ordinis profectum in se includit, iustitia quae forte socialis dicitur Deo convenire haud potest.

Iam vero universi ordo multipliciter considerari potest.

In ipso enim universo est quasi forma artifcialis, qua hic mundus est unus 1; est etiam ordinis bonum, et finis universo intrinsecus 2; est denique illa causarum dispositio seu series, quae fatum nominari potest. 3

Et sicut ex facto ordinis ad existentiam Dei concludimus,⁴ ita ex unitate ordinis ad Dei unicitatem,⁵ et ex congruitate ordinis ad iustitiam Dei distributivam⁶. Imo, cum optimum in rebus creatis existens sit bonum ordinis universi, fieri non potest ut hic ordo non sit per se et proprie a Deo omnium causam intentus; et ideo menti divinae inest idea ordinis universi quae caeteras rerum creaturam ideas in sua & unitate includit. ⁷

Proinde, cum sapientis sit ordinare, cumque divina sapientia sit infinita ut totum posse divinae potentiae comprehendat, ⁸ non solum idea ordinis huius universi sed etiam ideae omnium ordinum seu mundorum possibilium menti divinae insunt, ut nihil absolute possibile sit ⁹ quod Deus sapientissime facere non possit. ¹⁰ Sed repugnat infinitam sapientiam ita possibilia ordinare, ut singulis non tribuat quae iis convenient; et ideo non solum sapientissimus sed etiam iustissimus est quilibet rerum ordo seu mundus a Deo conceptus. ¹¹

Praeterea, cum bonum intellectum sit obiectum voluntatis, impossibile est Deum velle nisi quod ratio sue sapientiae habet. ¹² Sicut ergo divina sapientia est quasi lex iustitiae, ita consequens divinam sapientiam divina voluntas necessario recta atque iusta est, sive hunc mundum creare eligit, sive alium quemlibet, sive, cum omnes finiti sint valoris, nullum.

Praeterea, sicut ex ordine universi ad Deum sapientem iusteque eligentem ascendimus, ita etiam ex Deo ad ordinem universi redire possumus. Quatenus ergo ratio ordinis in mente divina res creatas in fines proprios per producendas respicit, divina providentia est; ¹³ quatenus autem divinam

voluntatem atque potentiam exsecutio providentiae habetur, divina gubernatio est. ¹⁴ Quatenus ratio ordinis, omnia ordinata intentionaliter continens, comparatur ad ipsas res ordinatas, logica veritas divinae scientiae consideratur; quatenus autem ipsae res ordinatae comparantur ad rationem ordinis in mente divina, ad ontologicam rerum veritatem attenditur. ¹⁵ Quatenus ratio ordinis in mente principis consideratur, lex aeterna est; ¹⁶ quatenus autem legis aeternae participatio in creaturis consideratur, lex naturalis est. ¹⁷ Quatenus singula quae sunt vel eveniunt a divina sapientia ordinantur, ratio uniuscuiusque cur sit vel fiat assignari potest;

quatenus autem totus ordo libere a diuina voluntate eligatur; ultimum omnium ratio est libera Dei electio. 18

Quae cum ita sint, Dei iustitia originaliter quidem ad divinam sapientiam pertinet, actualiter autem ad iustum sapientis ordinis electionem, consequenter autem in rebus invenitur creatis quatenus sapienter iusteque ordinantur tum inter se tum ad finem ultimum qui ipse Deus est.

A R T I C U L U S X

D E I U S T O R E R U M O R D I N E

Cum parum conveniat ita ordinis nomen dictitare ut nihil in mente habeamus quod huic nomini correspondeat, iam quaeramus oportet qualis sit ille iustitiae ordo quem conceperit divina sapientia, elegerit divina voluntas, producat divina potentia.

In primis ergo ordinantur omnia, in quantum formas habent legesque naturaliter sibi inditas. Nihil enim aliud est lex naturalis quam participatio quaedam legis aeternae, unde caeterae quidem res materiales sua sponte in proprium actum finemque procedant, homines autem moveantur non solum ut faciant, sed etiam ut quid iis faciendum sit cognoscant, et cognitum libere eligant. 19

Aliud deinde magisque concretum est universalis ordinis elementum, quod res ita inter se coniuguntur, ut circularis quaedam vel serialis legum complicatio oriatur. Sicut enim abstractas motus leges invenit Newton, magis concretam vero systematis planetaris periodicitatem demonstravit Laplace, ita in omnibus aliud est determinare quid sub debitiss conditionibus atque adjunctis per se fieret, et aliud longe est schematicam illam rerum coniunctionem seu constellationem invenire, unde certis temporum intervallis et impleantur conditiones debitae et actu fiant eventus praevisi. Illud enim singulas leges considerat easque abstractas; et cum a concretis rerum adjunctis atque conditionibus praescindat, nisi cogni-

tionem prorsus hypotheticam non praebet. Hoc autem non unam tantum legem considerat sed complurium simul complicationem; neque a rebus praescindit sed eas ita schematice inter se coniungit ut mutua earum dispositio ipsi legum complicationi correspondeat; neque conditiones adiunctae que praetermittit sed eas ipsa rerum dispositione legumque coniunctione regulat atque dominatur; neque cognitionem mere hypotheticam praebet sed pro diversitate materiae, physice certam vel plus minus probabilem.

Abstracta ergo ordinis elementa considerat physicus in gravium motibus, chimicus in aquis vaporantibus et condensantibus, meteorologicus in directione et velocitate ventorum. Quae tamen omnia simul coniuguntur ubi ad schematicam aquarum circulationem attenditur; nam vaporantibus maribus efformantur nubes; aspirantibus ventis terra nebulis operitur; condensantibus vaporibus descendunt pluviae; fluentibus aquis augentur flumina et replentur maria. Qua in circulatione non alias novasque perspicies leges sed concretam legum applicationem; neque eam consideras applicationem quae ex quolibet universali ad particulare quodlibet procedit, sed certam legum universalium seriem rebus certo ordine dispositis applicas; neque sine fine vel disponuntur res vel leges coniunguntur, cum ex ipsa hac dispositione atque coniunctione exoriatur perpetua quaedam atque viventibus perutilis aquarum circulatio.

Quod vero in periodico planetarum systemate et in aquis circumstantibus illustravimus, ita in omnibus verificatur ut existat communis quidam rerum eventuumque cursus, qui multo clarius multoque certius omnibus hominibus innotescat quam recentissima legum abstractarum scientia. Nam ipsa hominis vita, sive respirationem consideras, sive motum cordis sive ciborum intussusceptionem, sive vigilatiae et somni alternationem sive laborem cotidianum, sive prolis generationem atque educationem, ita rhythmo quodam peragit, ita repetiti actionibus constat, ita rerum circulationibus dependet, ut mundum simili quodam modo ordinatum exigat. Neque ille sufficit ordo qui in abstractis legibus ita ponitur ut a

concretis eventibus praescindat, sed alius prorsus qui ita leges inter se complicat et res mutuis habitudinibus disponit, ut certus quidam even- tum cursus consequatur.

At tertius manet gressus ut ad actualem rerum ordinem perveniat. Non enim una tantum existit legum complicatio schematica, si quidem alia in periodico planetarum systemate et alia in aquis circumeuntibus perspi- citur. Neque multae sed inordinate sunt, cum alias aliis vel subordinen- tur vel coordinentur. Nisi enim prius exstitit sistema solis et planeta- rum, haud circumferantur aquae; nisi circumerunt aquae, non vivunt plantae sine plantis, tot animalium species esse non possunt; et in singulis ani- malibus non solum distinguuntur sed mirabiliter etiam inter se coniunguntur atque dependent systemata digestivum, respirativum, vasculare, ossium et muscularum, nervosum, et sensitivum.

Ipsae ergo quas superius distinximus schematicae rerum dispositio- nes legumque complicationes alio quodam et magis concreto magisque univer- sali ordine comprehenduntur. Qui sane ordo ipsius divinae sapientiae at- que providentiae est, quae omnia complectitur secundum omnes singulorum determinationes etiam minimas, quae omnia disponit atque dirigit, quae omnia in fines singulis proprios producit. Quod si vel leges abstractas non omnes perspicimus, si pauca admodum schemata cognoscimus, multo minus universalem hunc ordinem et concretum prorsus et actualem perfecte intel- ligimus.

At ubi dees cognitio perfecta, adesse potest imperfecta, quaex in principiis quibusdam potioribus determinandis iisque modo generico ap- plicandis consistat. Et in primis elucet quantum habeat momentum ipsa divina providentia. Quod enim singulis rebus proprium est, hoc etiam hypotheticum est. Singulis enim proprium est ut, impletis conditioni- bus debitibus, secundam suam naturas operentur. Si ergo implentur, non

conditiones, operantur; sin autem conditiones non impletur, non operantur; neque ulli rei creatae inconditionata conceditur operatio. Quare in omnibus rebus et creatis et conservatis, cum singularum operatio conditionata atque hypothetica sit, nulla invenitur causa per se et proportionata ut res ulla actu agat. Quod si dicas aliam per aliam iam operantem accipere ut conditiones propriae operationis impleantur, factum sane non ignoras, sed explicationem adhuc omittis. Non enim casu fit ut (1) res aliæ ita operentur ut impleantur conditiones sub quibus aliæ operari incipient, (2) omnes res ita iugiter disponantur ut nulla aliarum et praemoventium 20 adiutorio privetur, et (3) ex hac perpetua rerum dispositione legumque naturalium complicatione, sed mirus ille atque beneficus efficiatur ordo, quem communem rerum cursum nominemus. Quod si casu non fit, divina providentia facit tum ut singulae res actu agant tum ut omnes ipsum universi ordinem instrumentaliter efficient.

Porro, ut proprius ad rationem divinae iustitiae accedamus, eiusmodi est communis rerum cursus universique ordo ut (1) sit effectus Deo Proprius et (2) per causas secundas producatur. Nam Deo proprius est ille effectus quem Deus solus producere potest; sed communis rerum cursus universique ordo proportionem excedit tam singularum quam omnium rerum creaturam et conservatarum; singularem enim excedit quia nulla res creata operationem inconditionatam habet; et omnium excedit cum, eatenus communi effectu ordo perspici possit, quatenus iam ante in operaturis ordinatio adfuerit. Sicut enim singulae ab aliis accipiunt ut conditiones operationis propriae impleantur, ita omnes a Deo accipiunt illam dispositionem atque ordinacionem, unde ordinatus producitur effectus communis.

Neque minus verum est Deum per causas secundas communem rerum cursum universique ordinem producere. Frustra enim crearentur et conservarentur res quae non operarentur. Neque operari possent; nisi divina sapientia eas ordinaret atque dirigeret. Neque ordinatae et directae ab eo communi cursu atque ordine deficere possunt quem divina sapientia intendit. Neque aliam altioremque regulam habet sive divina bonitas sive divina iustitia

quam ipsa divina sapientia.

Quae cum ita sint, qualis in genere sit ordo divinae iustitiae aliqualiter dici potest. Nam in primis constat ultimum finem in quem omnia sunt dirigenda esse ipsam divinam bonitatem manifestandam. Deinde, determinatum est medium quo utitur divina sapientia ad hunc finem attinendum, nempe, ipsae rerum naturae atque leges naturales. Tertio, constat divinam sapientiam non usu et experientia addiscere ut ab incepto consilio desistat et alium novumque tentet, sed ab ipsis primis initiis in finem usque omnia uno intuitu perspexisse, ordinasse, approbasse. Quarto denique determinatum est quale sit hoc unum consilium, nempe, ita res disponere atque coniungere ut serialia vel circularia operationum schemata resultant, et ita ipsa schemata tum temporum decursu tum simultanea hierarchia ordinare ut communis rerum cursus universique ordo consequatur.

Quae quidem quattuor determinationes quid sibi velint, exemplis et obiectionibus maxime manifestatur. Quaerere ergo solent homines cur tot sint astrorum collectiones nebulosae, cur tam magnae sint distantiae astronomicae, cur tam diurnae fuerint aetates geologicae, cur tot olim exstiterint viventium species iam extinctae, cur tam immisericors sit illa oeconomia qua vivens viventi praeda atque cibus sit, cur tot alia eveniant quae humano iudicio graviora, duriora, imo immania esse videantur. Quibus sic fere responderi potest:

- (1) haec omnia fieri secundum leges rebus naturaliter inditas; et his utilibus ad divinam iustitiam pertinere;
- (2) materiae abundantiam et temporum diurnitatem esse indicia signaque legum statisticarum adeo ergo ineptam effusionem, varium dispendium, ingenii tarditatem non probare, ut potius Deum demonstrent agere secundum propriam rerum convenientiam;
- (3) alia adiuncta aliis viventium speciebus magis convenire; unde iterum constare Deum agere non pro lubitu suae potentiae sed secundum iustitiam suae sapientiae.
- (4) numquam ergo nos satis mirari posse ordinem universi, quem per res

infimas et secundum proprietatem earum naturarum producit divina sapientia, secundum illud: "Deus igitur per suum intellectum omnia movet ad proprios fines." 21

(5) fieri sane mala, et potuisse Deum, ubi defuerit contradictio, omnia mala impedire; finem tamen universi, in quem omnia ordinentur, esse non creaturam bonitatem sed divinam manifestare; et ideo Deum iuste mala permittere, tum ut res creatae secundum veritatem naturae finitae et imperfectae agant, tum ut bonum per participationem atque creatum non sit nisi medium ad bonum* per essentiam manifestandum.

Attamen ulterius quaeritur cur Deus Homo, cur tot saeculis exceptari debuerit Salvator, cur ad populum hebraicum advenerit, cur tam lenta sit fidei propagatio, cur tot factae sint haereses, apostasiae, et revelatae veritatis calumniae, cur inter ipsos fideles tot sint peccatores, tot tepidi, cur inter ipsos ferventes tam saepe impediatur fructus bonae voluntatis per errores vel tarditatem mentis. Quibus omnibus eadem est generalis responsio, ad divinam nempe iustitiam pertinere ut Deus agat per causas secundas et secundum convenientiam ipsarum naturarum. Qua propter Deus ipse factus est homo ut sit causa secunda et proportionata ad omnia instauranda 22 novaque facienda 23 " quoniam quidem per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum." 25 quamvis sui tot prophetis tantisque signis eruditum tamen ardenter eum exspectavissent, haud fructuosior fuisset primus ille adventus si ante temporum plenitudinem 26 accidisset vel sine lege quae "paedagogus noster fuit in Christo." 27 Neque Dominus in tempore hoc restituit regnum Israel 28 quod subitaneo incursu et manifesta potestate omnia sibi subiceret, sed granum similem seminavit 29 quod lentius crescere videretur, tum quia fructus interiores ephemericibus non narrantur, tum quia per causas secundas, per homines, annuntiatur regnum atque propagatur. Quae sane omnia longiori disquisitione essent exponenda, nisi praesens intentio ad illud restrin- geretur, qualis scilicet in genere sit ordo divinae iustitiae.

ARTICULUS XI

DE ORDINE IUSTITIAE HISTORICO

Quae in genere de ordine divinae iustitiae diximus, immediatam admittunt applicationem ad ea quae homines magis respiciant; et ipsam hanc applicationem iam ante praeparavimus, cum primo capitulo de bonis et malis disseruerimus.

Nam tria in ordine divinae iustitiae distinximus: (1) rerum nempe naturae legesque naturales; (2) schemata operationum vel serialia vel circularia quae ex rerum dispositione et legum complicatione resultant; (3) ipse ordo divinae sapientiae, iustitiae, providentiae quae ita seriem atque hierarchiam schematum excogitat atque ordinat ut sequatur communis rerum cursus ordoque universi.

Tria pariter in bonis humanis distinximus: 1 bona particularia; (2) bonum ordinis externum; et (3) bonum culturale. Sed bonum culturale sequitur operationem cuiusdam legis naturalis; bonum ordinis externum est quoddam schema seriæ vel circulare; et bonum culturale diffusionem respicit illius interioris ordinis et perfectionis, qua homo per rationem et voluntate sibi providet et ipsam divinam providentiam quodammodo participat. 30 Praeterea, sicut divina providentia in rebus seriem et hierarchiam schematum efficit, ita in hominibus bonum culturale dirigit atque in melius commutat bonum ordinis externum; et sicut schemata faciunt res naturales iugiter secundum proprias leges operentur, ita bonum ordinis externum bonorum particularium profluvium quoddam comparat.

Bonis tamen humanis opponuntur mala, nempe, (1) mala particularia (2) mala ordinis externi, et (3) mala culturalia; quae quidem ex oppositis bonis ordinem quemdam mutuant. Nam ex malis particularibus conducunt homines in bonum ordinis exterius quaerendum atque perficiendum; ex

malis ordinis conducuntur ad bonum culturale inveniendum atque evolvendum; et ex ipsis malis culturalibus, tamquam ex culpa felici, ad Redemptorem flagitandum atque exspectandum moveri debent. Maximum enim malum est quod interiorem hominis ordinem corrumpit et in culturae decadentia sese manifestat; nam radicem suam habet in illa alienatione a Deo quae moralem impotentiam inducit, obscurationem nempe intellectus, et voluntatis infirmitatem, et obiectivam quamdam boni graviorem difficultatem; quibus vicissim corrumpitur bonum ordinis externum; unde et bona particularia iugiter minuantur et mala particularia in dies augentur.

Quae bonorum malorumque oppositio atque interdependentia clarissime manifestant divinae iustitiae ordinem. Cum enim Deus per causas secundas et secundum convenientiam earum naturarum operetur, etiam hominis liberum arbitrium adhibet tamquam medium suo modo suaque proprietatem usurpandum, secundum illud: "Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui." 31 Quia vero liberum arbitrium in malum declinare potest, ita divina sapientia tam mala quam bona ordinavit ut non solum e bonis bonum sequatur sed etiam e malis ad bonum addiscendum et perficiendum homo revocetur. Quia autem finis ultimus est ipsa divina bonitate manifestanda, ita omnia bona omniaque mala ordinavit Deus, ut ex humili submissione sequantur omnia bona, secundum illud "Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis" 32 sed ex superbia et alienatione sequantur omnia mala secundum illud "ut non gloritur omnis carnis in conspectu eius." 33

Dixerit tamen quispiam haec omnia adeo esse generalia ut intimum quemdam et magis fundamentalem iustitiae aspectum minime tangant. Quod quam verum sit, proxime dicemus. Sed antequam ad profundiora atque subtilliora procedamus, oportet omnino et clare et distincte perspiciamus quam iustus sit etiam erga personas ille rerum humanarum ordo quem conceperit divina sapientia et elegerit divina bonitas.

Nam etsi hac in vita persona humana ita ingenti quodam historiae processu includatur, ut nisi ipsius processus pars quaedam eaque minima

non esse videatur, nullo modo, tamen dici potest hoc aliter fieri quam secundum convenientiam humanae naturae. Quatenus enim homo et physicus et chimicus, et biologicus, et sensitivus est, fieri non potest quin moveatur sicut et alia gravia, alteretur sicut et alia mixta vel composta nutriatur, crescat, moriatur sicut alia viventia, sentiat atque appetat sicut et alia animalia. Quod si conceditur, omnino fatendum est hominem his in omnibus vi ipsius suae naturae ad materialem rerum processum pertinere. Imo, si ad ipsum hominis intellectum attendis, qui in genere intelligibilium non est nisi potentia, quae se habet ad omnes formas intelligibiles sicut materia prima ad omnes formas sensibiles, sane autem hominem ponis intra processum historicum atque culturaliem, aut omnes homines ad perpetuam atque inevitabilem primitorum mentalitatem redigis. Quod si hoc non placet, illud eligis et iterum hominem agnoscis tamquam partem processus universalis. Age vero, illud ipsum quod in homine maxime personale est, quo vi conscientiae suae rationalis et verum iudicat et bonum amat, quamvis ratione actuum actionumque prorsus immannens sit, nihilominus ratione obiectorum circa aliud non versatur quam ipsum huius mundi processum eiusdemque principium atque finem. Quam ob causam, si forte mysticos excipias, nihil homini hac in vita adeo est privatum, individuale, incommunicabile, ut relationem non dicat eamque essentialiem ad externum et historicum rerum processum. Neve quaeraris relationes humanas et interpersonales esse omissas, cum ad bonum ordinis pertineant non solum bonorum particularium series, et coordinatae operationes, et habitus interiores, et exteriores consuetudines legesque, sed etiam relationes interpersonales quae tum ex illis omnibus resultent tum in illa iugiter influant. Quod si totus homo secundum corpus, vitam, sensitatem, intellectum, rationalitatem, relationesque personales ad processum quemdam historicum vi ipsius suae naturae pertineat, fateamur oportet tam iuste quam sapienter eum includi intra talem processum et ipsius processus subdi legibus atque ordini.

ARTICULUS XII

DE ORDINE IUSTITIAE PERSONALI.

Ita hac in vita exsistit homo, ut aliam in vitam ex-sistat. Ita historico iustitiae ordini sreditur, ut aliud in ordinem assumatur. Iuste et secundum convenientiam suae naturae includitur homo intra processum huius mundi. Sed ita mundo includitur ut vi suae naturae per mortem mundo eripiatur. Atque eripitur ut iudicetur. Atque iudicatur ut praemietur vel puniatur. Quamdiu hac in vita versatur, obiectivoquodam et fere impersonali processu contineri videtur. Sed ideo hic versatur, ut a libi qualis ipse fuerit iudicet alius. Ex-sistimus enim ut personae ante illud tribunal sistamus quo de nostra personalitate a persona iudicemur sortemque sempiternam unusquisque suam accipiamus.

Quae quidem iustitia prorsus personalis, quantum humanae naturae conveniat, expendendum est. Per actus enim humanos non solum pergit obiectivus processus historicus, non solum fiunt actiones bonae malaeque, non solum perpetuo quodam fluxu commutatur situatio conditioque humana, sed etiam fiunt, imo se faciunt homines bonos vel malos.

Si enim actus, quem ratione voluntateque pono, in situationem humanam commutandam modica sua mensura influit, multo magis sane multoque intimius influit idem actus in me commutandum. Si ipsa situatio conditioque humana, per actus humanos vel olim vel nuper factos constituitur, quanto magis ipsi actus, quos ipse sciens et prudens pono, in me constituedunt cumulantur atque coalescunt. Neque hoc in processu intimiori sum ipse ego tantummodo is qui efficio, sed etiam idem sum ego qui iugiter efficio. Nam si liberum actum perpendis, recte dicis eum determinari neque ab adiunctis externis, neque a statu animae sensitivo, neque ab obiecto finiti valoris, neque a fine in quem multis et diversis viis proceditur. Quod si hic actus a caeteris omnibus relinquitur indeterminatus, undenam actualem suam determinationem accipit? Sane a mea

voluntate tamquam a principio quo. Sane a me ipso tamquam a principio quod. Sicut enim sensus non sentit sed homo per sensum, sicut intellectus non intelligit sed homo per intellectum, ita etiam voluntas non vult sed homo per voluntatem. Liber ergo ego propriis meis actibus libere me efficio atque me constituo.

Quatenus ergo ipse me liberis meis actibus efficio atque constitulo, eatenus opus meum sum. Neque tale sum opus meum, quales sunt litterae in aquis conscriptae vel figurae in arena exstructae, ut quidquid voluero quandocumque voluero statim fieri possim, neque quod antea fecerim nullatenus vel adiuvet vel impeditat quod postea fieri velim. Sed quandiu hac in vita conversor, mutari potest mea voluntas, sive extrinsece per mutatam cognitionem vel per mutatem corporis dispositionem, sive intrinsece per divinam gratiam interius in ipsa voluntate operantem. 34 Post autem hunc viae statum, secundum sapientissimam Dei ordinationem, mutationis causae iam tolluntur ut, qualis moriens fuerim, talis in aeternum manebo.

Quot vero inter homines intercedant differentiae, quamque variae sint, enumerari videtur neque possibile neque ad nostrum finem utile. Nam ad duas classes essentiales reducuntur omnia illa opera quae faciunt homines quatenus ipsi se faciunt. Aut enim boni sunt, aut mali. Aut dictanti rationi rationales consentiuntur aut irrationales non consentiuntur. Quod si rationales consentiuntur, opus intelligibile se faciunt, tum quia intelligibile est creaturam rationalem rationi consentiri, tum quia creatura rationalis, rationi consentiens, ipsa se facit partem intelligibilem intra ordinem a sapientia divina institutum. Sin autem irrationales non consentiuntur, opus non-intelligibile se faciunt, tum quia non-intelligibile est creaturam rationalem rationi non consentiri, tum quia creatura rationalis, rationi non consentiens, ipsa se subducit ab ordine intelligibili quo divina sapientia omnia ordinat tam inter se quam ad finem ultimum?

Per actus meos liberos ergo non solum sum opus meum, non solum

sum opus meum per se duraturum, sed etiam sum aut opus intelligibile, ordinatum, ordini universi integratum, aut opus non-intelligibile, inordinatum, ordini universi subtractum. Si me intelligibilem facio, sub legem intelligibili atque universalis ex-sisto particularis; si ordinatum me facio, pars mea sensitiva rationi subditur, et ipsa mea ratio Deo subditur si me ordini universi integro, intelligibiliter coniungor et Deo et Hominibus et caeteris creaturis. Si me non-intelligibile facio, extra legem intelligibilem atque universalem ex-sisto exceptio, neque exceptio rationabilis sed irrationalis, neque explicanda sed absurdaria. Si inordinatum me facio, neque ratio mea Deo subditur, neque pars mea sensitiva rationi subditur. Si me ordini universi subtraho, non-intelligibiliter alienum me facio tum Deo tum ipse mihi tum hominibus tum caeteris creaturis.

Quod opus sive intelligibile sive absurdum per se durat. Qua in duratione perspicitur meriti et demeriti, praemii et poenae fundamentum. Nam duratio operis intelligibilis fundat operis inclusionem intra ordinem rerum intelligibilem; et duratio operis absurdi fundat operis exclusionem extra ordinem rerum intelligibilem. Si fundatur inclusio intra ordinem, fundatur fruitio ordinis secundum omnia bona quibus Deus hominem ordinat; si fundatur exclusio extra ordinem, fundatur exclusio ab omnibus bonis quibus Deus hominem ordinat. Sicut enim in naturalibus operatur Deus secundum convenientiam naturae, ita etiam in voluntariis operatur Deus secundum convenientiam ipsius operis quod singuli ipsi se libere faciunt. Si quis ergo ordinem vult, ordine fruitur; en meriti et praemii fundamentum. Si quis autem ordinem non vult, extra ordinem ipse se detrudit: en fundamentum demeriti et poenae.

Quam ob causam, in ipsis rebus humanis clarissime distinguuntur iustitia historica et iustitia positiva. Per illam enim ex operibus obiective bonis sequuntur bona, et ex operibus obiective malis sequuntur mala; neque subiectiva operantis conscientia consectaria obiectiva mutat. Non enim magis patiuntur neque minus qui hodie dominio communistico subiciuntur, sive incolumibilitate decepti. sive ad eadē operas.

inculpabiliter deceptus, sive mala fide opera sua conscripsit Karl Marx. Sed iustitia positiva ad personalem responsabilitatem attendit. Non tantum materialem actum eiusque consequencias expendit sed, quantum fieri potest, formale formalis actus considerat. Inter malitiam et infirmitatem distinguit, inter deceptionem inculpabilem et culpabilem, inter circumstantias quae voluntarium sive augent sive minuant. Personas qua personas secernit, ut eluceat quis vero apertus et bono fidelis intra societatem personarum p retineri possit, et quis vero bonoque adeo alienus factus sit ut verae bonaeque societatis incapacem se reddiderit. In multis sane imperfecta inveniuntur tribunalia humana. Quid vero intendant leges, manifestum est. Nam praeter obiectivam illam iustitiam quae processu historico evolvitur, existit alia iustitia secundum quam personae a personis iudicantur utrum cum personis consociare possint. Neve dicas leges poenasque humanas non existere nisi utilitatis causa ut mali scilicet vel re-educentur vel saltem a malis operibus deterreantur. Nefas enim est malum facere ut eveniat bonum. Et malum est personam iuribus personae privari et, quasi merum instrumentum esset, poenas dare propter utilitatem quamdam consequentem. Nisi enim malefactores per propriam nequitiam personarum iuribus sese indignos esse demonstrant, nisi ipsi retributionis fundamentum ponunt reatumque culpae et poenae induunt, iniuste efficiuntur tristia poenarum exempla ad alios deterrendos.

Quod si in rebus humanis necessario agnoscitur personas se fare vel dignos vel indignos humanae societatis, certitudine fidei constat de iusto iudicio "Dei qui reddit unicuique secundum opera eius." 35 "Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum" 36. Cuius iudicii haec summa brevis est: "Amen, dico vobis, quandiu fecistis uni ex his fratibus meis minimis, mihi fecistis. 37 Et "Amen, dico vobis, quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis." 38

Quod tamen iudicium, etsi a persona de personis exercetur, etiam

consecrarium quoddam naturale exprimit. Uti enim testatur S. IOANNES: " Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim opera eorum mala. Omnis enim, qui male agit, odit lucem et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius; qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta." 39 Et iterum: "Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et, si quis audierit verba mea et non custodierit, ego non iudico eum; non enim veni, ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum. Qui spernit me et non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die." 40 Qui sane sermo (λόγος) etiam verbum erat de quo dicitur: "Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit." 41 Neve tardiores credatis aliter S. Mattheaeum et aliter S. Ioannem iudicium Domini concepisse. Quam enim societatem facit charitas, eam prius cognoscit lux illa intellectualis atque increata, cuius participatio quaedam creata est lumen intellectus nostri tum naturale tum fidei tum gloriae.

Quod si ratio consecrarii naturalis in divina iustitia personaliter exercita non deest, neque divina sapientia ita obiectivum historiae processum dirigit ut de personis non curet. Nam totum fere vetus testamentum specialem divinam providentiam circa populum Israeliticum manifestat, et ipse Dominus in novo docet: "Si autem faenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sici vestit, quanto magis vos modicae fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus aut quid bibemus aut quo operiemur? Haec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his indigetis;" 42 Imo, ad commercium personale nos invitat per ipsa

nostra disideria: "Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porrigit ei? Aut si piscem petierit, numquid serpentem porrigit ei? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in caelis est dabit bona potentibus se?" 43

Quam ob causam, quamvis valde inter se distare nobis videantur et processus obiectivus et personale iudicium, nulla tamen inter haec ex parte Dei datur Distinctio (cum persona divina realiter eadem sit ac ipsum intelligere) neque aliud ex parte nostra habetur distinctionis fundamentum nisi quod hac in vita secundum convenientiam nostrae naturae nostrorumque actuum versamur ut in vita futura quales nos fecerimus tales boni vel mali maneamus.

A R T I C U L U S XIII

D E IESTA DEI VOLUNTATE

Quod hoc rerum ordine sumus atque regimur, ex libera Dei electio-
ne est. Quae sane electio iustissima est, tum quia in infinitam bonitatem
tamquam in finem tendit, tum quia ex infinita bonitate ipsius divinae
voluntatis procedit, tum quia infinita in Dei sapientiam sequitur.

Quaerentibus autem utrum Deus res aliter ordinare potuisset,
modo desit contradictio interna, omnino affirmandum est. Quodcumque enim
contradictione caret, absolute potest Deus facere. Quodcumque absolute
potest facere, etiam sapientissime potest facere, cum divina sapientia
totum posse divinae potentiae comprehendat. 44 Neque perfectior divinae
voluntatis datur regula quam infinita Dei sapientiam.

Si tamen quaeritur cur Deus alium ordinem non elegerit, ad
mysterium divinae voluntatis acceditur, ubi iam non inquirendum sed
obediendum est. Qui enim omnes ordines suo intellectu non comprehendit,

alium cum alio comparare non potest; qui alium ordinem cum alio comparare non potest, cur alius alteri posthabeatur, dicere nequit. Sed nullus theologus omnes ordines rerum possibles suo intellectu comprehendit. Imo, ne Christus homo quidem hanc omniscientiam habuisse docetur. 45 Et ideo prorsus inepta est haec comparativa quaestio.

Praeterea, uti monuit S. Augustinus etiam si Deus aliter fecisset, nostrae tamen insipientiae ipse aliis bonitate procederet ordo aliis, sed "sicut exaltantur caeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris." 46

Quapropter, divinae electioni simpliciter obediendum est. Sicut enim Christus non alium mundum expetivit sed in omnibus voluntatem suam voluntati Patris subiecit,⁴⁷ factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, 48 ita et nos hunc actualem rerum ordinem nobis a Deo patre praeceptum habemus. Praecipere enim nihil est aliud quam per rationem et voluntatem movere. 49 Et Deus per suam sapientiam atque electionem sicut omnia creat et conservat, ita omnia movet. 50 Cui motioni in omnibus obediendum est, a rebus naturalibus quidem secundum formas sibi inditas, a rationalibus autem creaturis secundum quod hunc rerum ordinem et vere intellegunt et diligentes sequuntur.

Sed ulterius circa divinam voluntatem nonnulla recolenda videantur ne anthropomorphice eam concipiamus. Et in primis unica est Dei volitio. Sicut enim Deus et se et omnia alia cognoscit unico intelligendo actu, ita etiam Deus et se et omnia alia vult unica volitione.

Praeterea, sicut ordinata intelligit, ita etiam ordinata vult.

Unde statim concluditur quod Deus non vult hoc quia vult illud, sed vult hoc esse propter illud. 51 Excluditur primum, quia in Deo non sunt multae volitines, quarum alia alterius causa sit. Affirmatur secundum, quia Deus vult et hoc et illud et ordinem huius ad illud per unicam illam volitionem, qua et se et alia omnia ordinata vult.

Concluditur praeterea hanc unicam Dei volitionem a nulla creatura

causari sed omnis et cuiuscumque entis finiti causam existere. Non enim movetur Deus sed movet, et non efficitur sed efficit.

Quibus perspectis, si in rigore sermone loqueris, semper dices Deum velle satisfactionem Christi esse propter peccata, et peccatorum remissionem esse propter satisfactionem, et praemia esse propter bona merita, et poenas esse propter peccata. Non autem dices Deum velle satisfactionem quia peccata odit, vel Deum velle peccata remittere quia satisfactio eum placavit, vel Deum velle praemiare quia bona merita eum placuerunt, vel Deum velle punire quia peccata eum offendunt. Illa enim affirmant unam multorum et ordinatorum volitionem. Haec autem et multas divinas volitiones supponunt et interdum creaturam ponunt causam et divinam volitionem effectum.

Neve rigorem sermonis in praesenti quaestione parvi momenti iudicaveris. Cum enim praeципue contra dogma redemptionis obiciatur quod anthropomorphicum sit, huic calumniae ansam praebere non debet theologus catholicus.

At alia et gravior est quaestio, cum Deum dixerimus omnia, quaecumque hoc in mundo contineantur, et sua sapientia ordinare et sua voluntate eligere. Nam hoc in mundo sunt mala culpae, mala poenae, et mala naturalis defectus. Numquid Deus mala velit.

Et in primis dicendum est nulla voluntatem ne diaboli quidem directe in malum tendere. Obiectum enim voluntatis est bonum, et ideo nemo directe malum vult. Indirecta autem malorum volitio haberi potest, quantum quis bonum quoddam vult cui coniungitur malum. Et ita indirecte Deus vult tum mala naturalis defectus tum mala poenae, quantum directe vult tum bonum naturalis ordinis, cui consequuntur mala naturalis defectus tum bonae iustitiae personalis, cui consequuntur mala poenae? Quae quidem indirecta volitio est bona, uti exemplis facile constat.

Puta vehiculum acreum certis in adiunctis in terram esse casurum nisi suspenditur lex gravitatis. Et certa illa adiuncta oriuntur nisi vel

eadem vel aliae suspenduntur leges. Quaero ergo utrum melius suspenduntur leges naturales, quibus totus ordo rerum naturalis constat, an melius cadit vehiculum in terram, ut homines cautiores esse et prudentiores addiscant. Sane hoc. Hoc enim malum particulare est ex quo proplent bonum, illud autem bonum ordinis impediret, ex quo profluvium bonorum particularium habetur. Instas tamen. Nonne potuit Deus ita hunc mundum ordinare, ut nulla evenirent mala particularia et tamen nullae leges naturales suspenderentur. Potuitutique, nam haec internam contradictionem non dicant. Cur ergo non fecerit? Cui quaestioni iam superius responsum est; nam etiamsi Deus alium ordinem elegisset, etiam ille aliis ordo nostrae insipientiae non placuisset. Quod scimus, hoc in ordine invenitur, quem infinita sapientia ordinavit et infinita bonitas elegit. Cui electioni nobis sempliciter obediendum est.

Et similiter in poenas aeternas quidem esset damnandus, nisi Deus ordinem suae sapientiae suspenderet, et post mortem gratiam operantem concederet, quae malam voluntatem malamque personam faceret bonam. Volendo ergo ordinem suae sapientiae atque iustitiae, hunc hominem damnandum indirecte vult Deus. Quae quidem volitio bona est cum melius bonum sit bonum ordinis ex quo tota liberi arbitrii gravitas totumque eius momentum profluant, quam bonum hoc particulare quod converteretur qui finaliter imponitens fuerit. Iterum forte instas. Nonne potuit Deus ita res ordinare ut nemo sit finaliter imponitens? Potuit utique, cum hoc contradictionem internam non dicat. Cur ergo non fecerit? Cui quaestioni iam superius responsum est. Imo, iam nobis adorandum est mysterium divinae voluntatis, secundum illud: "O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius."⁵² Quod si Deus indirecte vult malum naturalis defectus et malum poenae

nullo tamen modo vult malum culpae. 53 Non enim directe vult, quia nemo malum directe vult. Neque indirecte vult, quia indirecta mali volitio habetur quatenus quis bonum vult cui connectitur malum. Sed malum culpae bono non connectitur sed opponitur totaliter. Non enim est ens sed entis privatio, neque privatio intelligibilis sed irrationalis et non-irrationalis. Iam vero omnis connectio quendam ordinem intelligibilem dicit; et quodcumque ordinem intelligibilem ad ens habet, illud eatenus intelligibile est. Malum culpae ergo nullam connectionem cum ente habet, et ideo nullam connectionem cum bono habet. Neque ergo directe neque indirecte vult Deus malum culpae.

Dices tamen qui nimis probat nihil probat. Sed nimis probat qui omne peccatum facit impossibile. Et argumentum propositum excludit volitionem mali culpae indirectam non solum a Deo sed etiam a peccatore.

Respondetur argumentum propositum excludit indirectam volitionem mali culpae ab omni cuius intellectus non obscuratur et cuius voluntas irrationaliter non agit. Quod autem peccatoris intellectus non obscuratur eiusque voluntas irrationaliter non agit, supponit obiciens sed manifeste probare non potest.

Instas vero peccata fieri non posse, si Deus ea nullo modo vult. Efficax enim est divina voluntas ut quodcumque velit fiat et quodcumque non velit non fiat.

Respondetur quod "Deus... neque vult mala fieri neque vult mala non fieri, sed vult permettere mala fieri. Et hoc est bonum." 54 Neve leviter iudices hoc merum esse effugium, nam, uti postea dicetur, praeter ens et non-ens est irrationalis privatio entis, praeter bonum et non bonum est malum culpae, praeter verum et non verum est ontologica peccati falsitas.

Instatur tamen malum culpae manifeste connexionem habere intelligibilem cum libertate finita atque defectibili.

Respondetur verum esse hominem posse peccare quia liber atque defectibilis sit, sed negatur hominem ideo actu peccare quia liber atque

defectibilis sit.

Instatur saltem inter peccatum et redemptionem intercedere connexionem intelligibilem.

Respondeatur (1) nexus intelligibile intercedere inter divinam peccati permissionem et redemptionem et (2) tam permissionem quam redemp-
tionem respicere peccatum ut factum, secundum quod "Deus est adeo potens
quod etiam potest bene facere de malis." 55 Sed negatur permissione esse
causa peccati, vel peccatum esse causa permissionis; et similiter non pec-
catum sed divina bonitas est causa redempionis.

Videtur tamen quod, si malum culpas sit malum prorsus, bonum esse
non potest permettere malum culpas.

Respondeatur quod bonum est ut sint creaturae rationales vere
liberae, bonum est "ut gloriatur omnis caro in conspectu eius," et bonum
est e malitia peccatorum efficere bonitatem redempionis. Quas ob causas
etsi permissione peccati ex peccato bonitatem non habeat, tamen non desunt
aliae rationes unde bonitas eius perspici possit. Quantum autem attinet
electionem inter permettere et non permettere malum culpas, uti superius
dictum est, non iam datur locus inquisitionis sed obedientiae atque
adorationis.

Obicitur tamen ex alio capite contra ea quae de unica et
incoausata divina volitione dicta sunt, quod magis ens supremum et helle-
nisticum sapiunt quam Deum Christianorum. Et in primis quod re vera tol-
litur divina orationis exauditio.

Respondeatur quod tollitur anthropomorphica huius exauditionis
conceptio sed minime tollitur eiusdem realitas, cum Deus faciat tum ut
obsecremus tum ut impetremus propter obsecrationem.

Instatur nullum re vera dari nexus causalem inter orationem et
effectum. Non enim hic ex illa procedit, sed utrumque ex divina sapientia
rerumque ordine.

Respondeatur aliud esse nexus causalem qui scientiis humanis

cognosci potest et alium esse nexus qui secundum intentionem divinae providentiae re vera adest. Si enim Deus et orationem et orationeis exauditionem praevidit atque praeparavit, scientiae humanae utriusque seorsim causas determinare possunt. Sed neque affirmare neque negare possunt utrum Deus res ita disposuerit quia effectum propter orationem esse voluerit; neque determinare possunt utrum, si homo non orasset, res ita disposerentur ut effectus haberetur vel non haberetur. Fidelis autem divinis eloquiis eruditus effectum esse propter orationem secundum intentionem divinae providentiae certo cognoscit.

Instatur quod si unicus actus est divina voluntio, uno eodemque actu Deus et bonos amat et peccata odit, irascitur contra peccatores, et per satisfactionem Christi placatur. Quae divina indifferentia realis sensui Christiano omnino repugnat.

Respondetur quod obiciens non satis distinguit inter id quod est verum et reale et, alia ex parte, ea quae in analysi metaphysica ponuntur tamquam constitutiva vel conditiones eius quod verum et reale est.

Primo, ergo, verum et reale est Deum et bonos amare et peccata odio habere et contra peccatores irasci et per satisfactionem placari. Quod omnino retinendum est ab omnibus, sive metaphysicam analysin capere possint, sive non.

Deinde, proprie dici potest Deus amare et odio habere quia huius actus possunt esse proprie dicti etiamsi in sola voluntate spirituali existant. Sed analogice tantum dicitur Deus irasci vel placari, quia huius actus proprie dicti important motum sensitivae partis vel huius motus sedationem. Vere ergo et realiter irascitur Deus in quantum poenas peccatoribus praeparat; sed analogice tantum irascitur quia partem sensitivam non habet quae commoveatur; et vere et realiter placatur Deus in quantum peccatorum remissionem praeparat; sed analogice tantum placatur quia partem sensitivam non habet quae commoveri et sedari possit.

Tertio, constituitur amor divinus erga bonos per actum infinitum, et ideo summe verus atque realis est; constituitur odium divinum per actum infinitum, et ideo summe verus atque realis est; constituuntur denique per actum infinitum tam ira quam placatio divina, et ideo summe verae atque reales sunt. Sicut enim sufficit actus infinitus intelligendi ad bonos et peccatores cognoscendos, ita sufficit actus infinitus volendi ad illos amandos et hos ad poenas destinandos.

Quarto, quae contingenter de Deo vere et realiter dicuntur, praecise in quantum contingentia sunt, terminum ad extra convenientem, non per modum constitutivi; sed per modum conditionis exigunt. Totus enim amor divinus per actum infinitum constituitur; sed enuntiabile verum et contingens adequationem in re non habet per solum actum necessarium; et ideo per modum conditionis exigitur terminus ad extra convenientem atque contingens qui est effectus divini amoris. Similiter, odium divinum constituitur per actum infinitum, sed verum enuntiabile et contingens terminum contingente exigit; qui quidem terminus est peccatum quod fieri permisit Deus.

Quinto, quamvis creatura in Deum agere non possit sive physice sive moraliter, tamen sub Deo vere et realiter agere potest ut Deo placeat vel displiceat, ut Deus irascatur vel placetur. Non potest in Deum agere, quia non potest causare actum infinitum sive essendi sive cognoscendi sive volendi. Potest tamen agere ut Deo placeat vel displiceat, ut Deus irascatur vel placetur, quia potest terminos causare qui non existant quin Deus vere et realiter amet, oderit, irascatur, placetur.

Quibus perspectis, tum omnia et singula salvantur quae a fidelibus vel simplicissimis creduntur, tum omnis prorsus anthropomorphismus excluditur.

ARTICULUS XIV
DE VOLUNTARISMO AFFINIBUSQUE ERRORIBUS.

Duplex esse videtur voluntarismus: alius magis conscientius atque aperatus qui voluntatis amorisque celebret laudes; alius magis inconscientius atque tectus qui, cum praecipue in ratione intelligibilitatis parum perspecta consistat, partes voluntatis consequenter exaggeret. Illum satis innocentem sentimentis suis relinquimus; hunc autem perniciosum, cum divinam iustitiam obscuret, dissolvendum censemus. Quapropter quinque brevissimis capitulis de voluntarismo tecto atque latente agendum est.

a)

Divinam voluntatem sequi intellectum

Cum Deus libere~~er~~ mundum crearet, voluntarie eum creasse fatendum est. Sed bonum intellectum est obiectum voluntatis. Ergo "impossibile est Deum velle nisi quod ex simplici voluntate dependeat iustitia est dicere quod divina voluntas non procedit secundum ordinem sapientiae, quod est blasphemus."

b)

Ordinem sapientiae divinae non in omnibus necessarium esse.

Etsi enim in multis cernatur necessitas sive ex fine sive ex agente sive etiam aliis modis, 58 non tamen in omnibus a Deo ordinatis invenitur necessitas. Quod maxime patet in iis quae redemptionem respiciant, ubi tota fere res in gratuitate Dei donis liberisque hominum actibus consistat. In quibus tamen non minus invenitur intelligibilis ordinatio divinae sapientiae quam in aliis et necessariis.

Non enim idem dicit intelligibile dividatur in necessarium et possibile. Ita necessarium est bis bina esse quattuor, sed quamvis necessarium non sit, tamen positive intelligibile est accelerationem gravitatis esse constantem. Iterum, positive intelligibile est hanc constantem accelerationem considerari secundum geometriam Euclideanam, sed etiam positive intelligibile est eam considerari secundum aliam geometri-

am.

Quibus perspectis, vehementer eos errare censemus, qui divinum intellectum in necessariis, in caeteris autem divinam voluntatem primas habere partes asserant. Verum sane dicerent, si omne intelligibile etiam necessarium esset; cum tamen aliud intelligibile praeter necessarium existat, ex parum perspecta intelligibilitatis ratione in voluntarismum erronee declinant.

c) Possibile et conveniens non stricte demonstrari.

Sicut duplex est intelligibile, ita etiam duplex est probandi genus. Quod enim necessarium est, argumentis necessariis demonstratur. Quod autem possibile est, nisi ex indiciis undique collectis, cumulatis, contextis non probatur. Iterum, quod necessarium est, contradictorii possibilitatem excludit; quod vero possibile est, non possibilitatem contradictorii, sed factum contradictorium vel certo vel probabiliter negat.

Quae cum ita sint, parum admodum proficit qui ita duplex intelligibile agnoscat ut tamen nisi unum non sciat probandi modum. Gloriari sane solent de proprio rigore scientifico, qui vanam otiosamque iudicent speculationem, quocumque vel ipsis sensibus non constet vel necessario ex necessariis non concludatur. Quorum tamen rigor potius mortis esse videtur quam rigor scientificus. Nam omnes scientiae sive naturales sive humanae non necessarium investigant sed possibile quod de facto existit. Neque ipsa oeconomia salutis necessaria est, sed possibilis et de facto existans. Imo ipsa suprema mysteria divina, quamvis quoad se necessaria sint, tamen eorum necessitas minime a nobis perspicitur, 59 quamvis aliqua eorum intelligentia et analogica et imperfecta hac in vita a nobis haberi possit.

Quaesiverit tamen quispiam quemadmodum discerni possit inter vanas otiosasque speculationses et veram etsi contingentem intelligibilitatis cognitionem. Cui nulla brevis facilisque responsio dari potest.

Deus enim uno intuitu eoque aeterno omnia intelligit. Angelus a primo suae existentiae istante omnia omnia quae intra suam proportionem naturalem iaceant, statim intelligere potest. Sed homo non est in genere intelligibilium nisi ut potentia, et ideo ei laborandum est ut eius intelligentia, scientia, sapientia, pedetentim proficiat. Quod si intelligentiae augmentum non quaerit sed ab ipsis initiis demonstrationes postulat, experimentum saeculi decimi quarti ipse in se repetet. Nam quo minus quaeritur rerum intelligentia, eo minor habetur intelligentia; quo minor habetur, eo pauciores nexus ab eo perspici possunt; quo pauciores perspiciuntur, eo rariores fiunt certitudines; quo rariores sunt certitudines, eo magis ad scepticismum acceditur.

Bene noverant rigorem scientificum Scotus et Ockham; sed post pauca decennia advenit Nicolaus de Ulricuria, cui tantus erat rigor, ut nihil fere ei evidenter certum supererat. E contra, quo magis augetur intelligentia, eo plures atque exactiores exprimuntur conceptus universales, qui clarius vel necessario vel possibiliter et convenienter iner se legentur, unde numerosiores ducantur conclusiones sive cum certitudine sive cum probabilitate. Quod intelligentiae scientiaeque augmentum pedetentim in sapientiam conducit, quae omnia et inter se et ad finem ultimum ordinet, unde tam de singulis quam de omnibus fieri potest iudicium clarius, exactius, tutius. Neque sine sapientia de divina sapientia vel de divina iustitia iudicari potest. Imo, cum nulla sapientia finita divinae sapientiae proportionetur, quo sapienter est theolugus, eo etiam promptius atque libentius suae sapientiae iudicium illi magisterio submittit cui Deus assistit.

d) Alium intelligentiae et alium sapientiae esse ordinem

Divinae iustitiae ordinem esse diximus, quem originalliter concipit divina sapientia, actualiter eligit divina voluntas, in tempore facit divina potentia, at ipsis in rebus cernitur. Quod tamen

fieri non posset videtur. In illo enim ordineraut includuntur peccata aut non; sed si includuntur, Deus est auctor peccati; et si non includuntur, dominium Dei non est universale.

Cuius dilemmatis solutio in eo est quod (1) alius intelligentiae et alius sapientiae est ordo cum hic sed non ille includat non-intelligibilia, et (2) aliter intelligibilia et aliter non-intelligibilia comparantur ad divinam sapientiam, divinam electionem, et divinam actionem.

Intelligibile ergo dicimus id ipsum quod intelligendo aut innoscit (intelligibile actu) aut innoscere potest (intelligibile potentia). Quod forte aliis clarum et aliis obscurum videtur. Quibus autem clarum est, ab iisdem exercetur intelligendi actus; quibus vero obscurum est, ab iisdem non exercetur intelligendi actus; et cum eadem in omnibus sit claritas vel obscuritatis ratio, quilibet in se ipso experiri potest quinam sit intelligendi actus, ille scilicet quem in claris experiatur et in obscuris non experiatur. Quod si quis ad hanc experientiam sedulo attendit eamque ab omnibus aliis secernit, claram acquirat intelligentiae et intelligibilis notitiam. Sin autem ad alia confugit, sive ad sensibilia, sive ad imaginata, sive ad conceptus, sive ad iudicia, sive ad ratiocinia, certo certius semper ei obscurum erit quid per nomina intelligentiae et intelligibilis vel significetur vel significari possit. Inquerendo enim in actum intelligendi tendimus. Intelligendo elucet intelligibile, quod sensibilius vel imaginatis additur. Postquam intellectimus, incipit possibilitas concipiendi, definiendi, iudicandi, ratiocinandi. Sed totius processus nodus, clavis, centrum est ipse intelligendi actus, qui ultra sensibilia et imaginata procedit, sed conceptus, universalia, nexus inter conceptus, iudicia ratiocinia antecedit atque fundat.

Quod si claram quamdam intelligentiae et intelligibilis notitiam acquisiverimus, ulterius poterimus procedere. Non enim omnia pariter sunt intelligibilia, cum alia in se ipsis intelligentur, alia autem non in se sed in alio, et aliam utrumque modum coniungant. Quae ergo dicitur forma si proprie adhibetur nomen, in se ipsa est intelligibilis. Materia vero

conditionesque materiae non in se sed in forma intelliguntur. Essentia rei materialis, cum non solum formam sed etiam materiam saltem communem includat, ita + habet quod in alio intelligitur, ut tamen etiam aliud illud habet in quo intelligatur. Quaecumque proinde contingenter vel existunt vel eveniunt, non in se sed in causis extrinsecis efficienti et finali intelliguntur. Ipse Deus denique, in quo nulla est materia nullaque contingentia, totus est in se intelligibilis.

Sed praeter ea quae vel in se vel in alio intelligi possunt, etiam concipi potest quod neque in se neque in alio ne potentia quidem intelligibile est. Neque tantummodo concipi potest non-intelligibile, sed etiam illud esse affirmari potest. Nam eiusmodi est formale formalis peccati, seu irrationalis illa rationalitatis privatio quae in peccato formaliter invenitur. Quamvis enim intelligi possit ipsa peccandi actio, quatenus entitatem quamdam atque bonitatem habeat, sane nullo modo vere intelligi potest sive in se sive in alio ipse rationalitatis defectus irrationalis. Si enim vere intelligeretur, irrationalis non esset, sed intellectam rationem intrinsecam vel extrinsecam eamque veram haberet.

Quibus perspectis, alium elucet esse ordinem intelligentiae, et alium ordinem sapientiae. Intelligentia enim e intelligibilia ordinat; sed sapientia ordinat non solum intelligibilia sed etiam non-intelligibilia. Non ordinat intelligentia nisi intelligibilia, cum tota sit in intelligentia sive quae in se sive quae in alio intelligibilia sint. Etiam non-intelligibilia ordinat sapientia, cum latius pateat sua attentio suaque virtus. Attendit enim sapiens ad omnia quaecumque de facto sunt, etiamsi esse non debeant, etiamsi intelligi non possint. Neque ordo sapientiae non-intelligibilia praetermittit quasi non essent quae tamen sunt, sed ita ea agnoscit ut ipsa eorum non-intelligibilitate maiorem esse sapientiam demonstraret.

Quae cum ita sint, resolvitur dilemma quod superius propositum est. Nam intra ordinem quem excogitat divina sapientia, vel electio, vel actio,

tam ad non-intelligibilia quam ad intelligibilia.

Divina enim sapientia intelligibilia ordinat tamquam ea quae intentioni suae atque ordinationi concordant, sed non-intelligibilia ordinat tum inquantum antecedenter ea fieri districte prohibet gravissima que poenas minatur, tum inquantum concomitanter ea ut de facto evenientia agnoscit, tum inquantum consequenter etiam de tantis malis bonum efficit. Similiter, divina electio bona directe vult, mala naturalis defectus et poenae indirecte vult, sed mala culpae non-intelligibilia nullo modo vult. Denique, divina actio est causa prima omnium quaecumque sunt; et ideo omnia entia in Deum agentem reducuntur, et omnia non-entia in Deum non agentem reducuntur, sed non-intelligibilia sive in Deum agentem sive in Deum non agentem reduci non possunt; si enim reducerentur, essent intelligibilia in alio, quae tamen neque in se neque in alio intelligibilia sunt.

Quod si Deus ea fieri permittit quae omnino prohibeat neque ullo modo velit vel faciat, sane peccatorum auctor ipse non est. Cum tamen ab aeterno hunc rerum ordinem actualem et cognoverit et elegarit, neque quicquam eveniat praeter hunc ordinem, prorsus universale manet divinum dominium.

A R T I C U L U S XV

PRAECEDENTIUM RECAPITULATIO

Divinae iustitiae originem legemque diximus divinam sapientiam; exercitium autem esse liberam Dei electionem; effectum denique esse universi creati ordinem concretum et actualem secundum omnes suas determinationes.

Cum ergo divina sapientia nostrum intellectum longe excedat, in primis rationem mysterii divinae iustitiae vindicavimus. Quodcumque agit Deus, hoc iustum est; sed quemadmodum iustum sit, nisi imperfecte atque analogice intelligere non possumus. Quam ob causam Apostolus ad Romanos,

postquam capitulo nono ad undecimum reiectionem populi Israeletici consideravit, divinae iustitiae mysterium admirans atque adorans exclamavit: "O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sensum (**V O U V**) Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso (**E I S A U T O V**) sunt omnia: ipsi gloria in saecula. Amen. 61

Quam mysterii rationem in iis praecipue attendere debemus, ubi actualis ordo cum alio et possibili ordine comparatur.

Alios enim ordines fere nescimus, nisi quod possibile sunt, quod multi sunt, quod infinita sapientia ordinantur in divinam bonitatem manifestandam, quod infinita Dei bonitatem eligi possunt, quod omnes simul sumpti includunt quocumque internam contradictionem non diuat. Quae sane brevissima notitia minime sufficit ad comparationem instituendam, multaque minusad actualem divinam electionem iudicandum. Quae ergo aliter fuisse potuerunt, cum non sint facta, nobis inquirendum non est sed, prout ras fert, vel sanctitas divinae voluntatis adoranda vel ipsa divina determinatio a nobis obediendam est.

Sed ex ratione mysterii et aliud concluditur. Qui enim legem divinae iustitiae in divina sapientia ponit, in ignoto eam ponit ut postea possit tum mysterium agnoscere tum in intelligentia, scientia et sapientia proficere. Qui autem a definitionibus determinatis, et divisionibus, et regulis iustitiae incipit, quamvis valde scientificus esse videatur, magis tamen in arena quam in lapide domum suam fundat. Nam determinatae definitiones, divisiones, regulae e rebus humanis summuntur et nisi analogice ad Deum applicari non possunt. Sed fieri vix potest ut tam lector quam auctor ad multiplicem analogiam semper attendat, unde haud ab omnibus evitatur omnis anthropomorphismus. Quod vero gravius est, ex insufficientia cuiuslibet analogiae oritur; nam inter creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda; 62 et ideo, sicut ex similitudine species

determinatae scientiae habere potest, ita ex maiori dissimilitudine tanta exsurgit difficultatum multitudo tantsque penuria solutionum: atque collabatur quam perfici possit.

Deinde, cum divina sapientia totum universi creati ordinem ad determinationes etiam minimas eleboratum divinae voluntati exhibeat, cumque hunc ordinem tam exacte determinatum et eligat divina voluntas et exsequatur divina potentia, modo prorsus concreto atque actuali divinam iustitiam concepimus. Quia ex conceptione, varia sequuntur emolumenta. Nam, in primis, amovetur periculum ne confundentur iustitia divina prout est actusque exercetur et eadem divina iustitia prout a nobis imperfecte et analogice consideratur atque cognoscitur; nam aliud manifeste est id quod fit secundum omnes suas determinationes, et aliud longe est idem ipsum quod fit secundum determinationes ad quas attendimus quasque plus minus intelligimus et maiori vel minori probabilitate vel certitudine cognoscimus.

Deinde, amovetur periculum ne umquam arbitremur nos totam divinae iustitiae rationem perspexisse, vel in rebus quae parviores esse appareant vel in magno mysterio nostrae redemptionis. Accedit tertio quod addiscere possumus qualis sit divinae iustitiae ordo, non solum ex iure usque tribunalium humanae iustitiae, sed etiam ex ipso divino agendi modo qui tum in rebus naturalibus tum in tota historia humana tum in sacris eloquiis nostrae contemplationi atque admirationi exhibetur; nam "ordo universi, qui appetit tam in rebus naturalibus quam in rebus voluntariis, demonstrat Dei iustitiam." 63 Quarto, qualis sit haec Dei iustitia concreta atque actualis, cum in multis necessitatibus non habeat sed aliter fuisse potuerit, non solum stricte dictis demonstrationibus sed etiam argumentis convenientiae et sapientium iudicio determinandum est. Quinto, denique, quanti sit momenti ad quaerelas calumniasque haereticorum praecavendas, ut omnis vel species anthropomorphismi evitetur, neminem non videre autumno qui libros eorum perlegerit finesque perspiceret; quam ob causam, hac in re ad prima principia theologica recurrimus, nempe, ad Dei simplicitatem atque immutabilitatem.

bilitatem notamque scholasticis distinctionem inter entitative atque terminative.

Fatendum tamen est numquam fieri potuisse ut ordo universi concretus atque actualis tamquam ordo ipsius divinae iustitiae haberetur, nisi accedisset distinctio superius elaborate inter ordinem intelligentiae ordinemque sapientiae. Cum enim sapientiae sit non solum intelligibilia ordinare prorsus, ne peccatis quidem exceptis, sub ordine divinae iustitiae inveniri non solum potuimus asserere sed et debuimus. Sicut enim iuste bonos bonis praemiat Deus et malos malis punit, ita etiam iuste homines peccare permittit atque a peccatis redemit. Nam universa quae condidit Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter. 64

Quibus perspectis, iam oportet magis particulariter de divina iustitia determinare et, in primis, quemadmodum discernatur inter divinam iustitiam et alia ex parte divinam bonitatem, divinam liberalitatem, divinam misericordiam. Quae quidem distinctio, cum tripliciter sumi possit, non raro confusionem gignit. Divina enim bonitas vel iustitia vel liberalitas vel misericordia autem(1) sumitur in sua radice intra ipsum Deum, aut (2) sumitur secundum comparationem effectum creatorum inter se, aut (3) sumitur secundum habitudinem ipsius Dei ad creaturas.

Primo modo, bonus est Deus quia libere et de nihilo ens et bonum creat et diffundit; iustus est Deus quia ordinem rerum ab infinita sapientia determinatum eligit; liberalis est Deus quia divina sapientia res ordinat non in divinam utilitatem sed in divinam bonitatem manifestandam; et misericors est Deus quia longe praestat ordinatio in divinam bonitatem ordinatione in quamlibet bonitatem creatam. 65

Altero modo, effectus creati et inter se ordinati comparantur ut proportionati vel non proportionati; et cum omnes ex Deo sint, illi secundum iustitiam, hi autem secundum liberalitatem vel misericordiam procedere dicuntur. Ita benedictio Abrahae promissa secundum iustitiam

Iudeis et secundum misericordiam Gentibus concessa est. 66 Ita remissio peccatorum peccatori conceditur secundum misericordiam sed Christo superabundanter satisfaciens secundum iustitiam. Ita corona gloriae bonis meritis secundum iustitiam datur, sed ipsa bona merita ex divina liberalitate procedunt. Ita peccatorum castigatio ex iustitia est, sed castigatio huius citra condignum ex misericordia est. 67

Tertio denique modo, consideratur habitudo Dei ad creaturas; et cum omnis habitudo fundamentum habeat, alia non est haec tertia consideratio ac prima vel altera; cum prima enim coincidit, si Deus ipse sumitur ut fundamentum relationis; cum altera coincidit, si effectus creati et inter se ordinati fundamentum praebent; neque novum aliquid ex utriusque coniunctione habetur, nisi forte subintra fallacia.

Quae tamen fallacia non adeo rara est. Qui enim de iusta habitudine inter Deum et creaturam quaerit, eo ipso Deum et creaturam quasi ex aequo ponit; unde et quaerit non solum quid Deo a creatura sed etiam quid creaturae a Deo debeatur; neque solum profert quaestionem sed etiam rationem invenit, nempe, exigentiam finis. Iam vero, uti patet, finis ~~petita. id quod ad finem est, tunc valent argumenta ex necessitate finis~~ petita. Sed quod ad finem est, ne cogitatur quidem nisi ex suppositione finis. Et ideo semper primo ponitur finis libere a Deo electus et deinde ea quae ad finem sunt et nisi propter finem non eliguntur, ut dicta finis exigentia simpliciter auferatur. Verum sane est Deum homini dare omnia quae ad hominem tamquam finem ordinantur; verum praeterea est Deum homini dare omnia quae ei convenient ut ad finem pertingat; quod tamen Deus fecit, non quia homini quidquam debeat, sed quia ipse ordinem suae iustitiae tam in homine quam in aliis rebus adimplevit. Deus ergo ad hominem se habet ut bonus et iustus et liberalis et misericors; sed ita se habet propter nomen suum et non propter debitum erga hominem. 68

Denique tandem, uti postea constabit, specialis quaedam ratio divinae iustitiae in cruce Domini nostri conspicitur; quam tamen suo loco (cap. IV) convenientius exponi videtur.

C A P U T T E R T I U M.

DE CHRISTO MORTUO ET RESURRECTO.

Aliam christiana fidei doctrinam neque clarius neque plenius exposuerunt novi testamenti auctores quam ipsum redemptionis dogma. Quam ob causam, ea in primis colligere atque recitare visum est, quae in primariis revelationis fontibus traduntur. Sex ergo quae sequuntur articulis de morte Christi (XVI), de pretii solutione (XVII), de sacrificio novi testamenti (XVIII), de obedientia meritoria (XIX), de vicaria passione (XX), et de virtute resurrectionis (XXI), non alia fere continentur quam quae in scripturis leguntur.

A R T I C U L U S XVI

DE MORTE CHRISTI.

Causae proximae. Secundum narrationem evangelicam mortem Christi effecerunt proditor Iudas, 1 summi sacerdotes, 2 turba Hierosolymitana a pontificibus concitata, 3 milites 4 et si consentientes addis, 5 praeterenntes et blasphemantes. 6

Altiora principia. Quartum evangelium non solum Iudeorum oppositionem continuo manifestat 7 sed etiam ea exhibet principia quae hanc oppositionem rerum humanarum cursu fere necessariam fuisse suadent.

Christus enim, Dei Verbum, erat lux vera quae illuminat omnem hominem 8 erat lux mundi, 9 in hoc natus est et ad hoc venit in mundum ut testimonium perhiberet veritati, 10 et testimonium quidem perhibuit, Ioanne Baptista maius, testimonium nempe Dei Patris, scripturarum, Moysis. 11 At dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit odit lucem et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius; qui autem facit veritatem, venit ad lucem ut manifestentur opera eius quia in Deo facta sunt. 12 Quam ob causam Jesus

Iudaeis dicebat: "sermo meus non capit in vobis";¹³ et oppositionem delineavit inter Deum et diabolum, veritatem et mendacium, fidem et homicidium.¹⁴ Proinde, etsi nemo ad Christum venire possit, nisi Pater traxerit, docuerit, dederit,¹⁵ culpabiliter¹⁶ tamen et maiori peccato erant Iudei fidei incapaces oculis quippe excaecatis et corde indurato.¹⁸

Intentio divina. At ulterius docet novum testamentum Christum definito consilio et praesentia Dei traditum;¹⁹ neque aliam fecisse Herodem et Pontium Pilatum cum gentibus et populis Israel quam quae manus Dei Deique consilium decreverunt fieri; 20 immo oportuisse Christum pati²¹ secundum scripturas.²²

Quibus accedunt quae de mandato Patris narrantur,²³ propriae passio-
nis et mortis acceptatio,²⁵ et ab apostolis celebrata Christi obedi-
tia.

Distinctiones. Quibus perspectis, quotupliciter mors Christi considerari possit, distinguendum est.

Consistit ergo mors Christi ut naturalis seu physica in separacione animae a corpore. Sed idem actus, motus, eventus ut ab agente procedens dicitur actio, et ut in recipiente productus dicitur passio. Physice ergo mors Christi erat et actio Iudeorum a Iudeis procedens et passio Christi in Christo producta.²⁷

Proinde, unumquodque ad genus morum accedit quatenus est voluntarium. Sed alia et alia voluntate voluntaria erat mors Christi, cum gravissimo peccato mortem hanc effecerint Iudei, et summa virtute eamdem pertulerit Christus. Moraliter ergo spectata, mors Christi ut actio Iudeorum erat nequissima, sed ut passio Christi erat excellentissima.

Unde et similes distinctiones fieri oportet circa divinam intentionem. Malum enim culpae Deus nullo modo vult sed tantum permittit;²⁸ et ideo formale formalis peccati eorum qui Christum oderunt atque occiderunt, neque directe neque indirecte voluit Deus. Malum autem natura-

lis defectus et malum poenae vult Deus, non quidem cum obiectum voluntatis sit bonum, sed indirecte inquantum bonum ordinis universi intendit atque curat; et ideo mala Christo inficta, quatenus peccati consectaria erant, nisi indirecte non voluit Deus. E contra, bonam sanctamque voluntatem directe vult Deus, et secundum hoc Deus directe voluit illam passionis et mortis acceptationem quam Christus obediens peregit. Praeterea, bonae sunt actiones quae secundum praecepta evangelica fiunt; sed evangelium reprobatur legem talionis, inimicorum dilectionem praecipit,²⁹ et malorum perpessionem propter iustitiam summopere laudat;³⁰ quare S. Petrus passionem mortemque Domini nobis sequendum exemplum proponit;³¹ et ideo totam Christi mitis et humilis processit, directe voluit Deus.

Effectus immanentes. Epistola ad Hebraeos conveniens fuisse affirmat Deum perfecisse Chrisum per passiones.³² Quam vero intendit perfectionem, forte declarat postea affirmans "cum (etsi) esset Filius Dei, didicit ex iis quae passus est obedientiam et consumatus (perfectus) factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.³³ S. Paulus praeterea ad Philippenses docet exaltationem Christi esse propter humiliationem eius qui formam servi acceperat et obediens erat factus usque ad mortem, mortem autem crucis.³⁴ Et similiter omnia quae Dominum a dextris virtutis sedentem respiciunt, tamquam finem mortis et resurrectionem exhibet: "In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur."³⁵

Effectus universalis. Praecipue vero docet scriptura Christum mortuum esse pro peccatis nostris,³⁶ pro impiis,³⁷ pro omnibus³⁸ et singulis,³⁹ pro nobis;⁴⁰ In morte Christi nos baptizari,⁴¹ Eucharistiam mortem Domini annuntiare;⁴² quam praeterea mortem fuisse in redemptionem praevaricationum;⁴³ ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum;⁴⁴ ut et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei: qui pro ipsis mortuus est et resurrexit;⁴⁵ ut sive vigilemus sive dormi-

amus simul cum illo vivamus; 46 ut nos offerret Deo; 47 in reconciliacionem universalem; 48 ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. 49 Quibus accedunt omnia quae de sanguine et cruce Domini dicuntur, de eius sacrificio, de eius dilectione, suique traditione.

ARTICULUS XVII

DE PRETII SOLUTIONE.

Voces in versione vulgata adhibitae, redimere, redemptio, diversis vocibus graecis correspondent quarum aliae transactionem quamdam commercialem proprie significant, aliae autem connexum quidem sed longe generaliorem sensum eumque interdum remotum habent.

Ter significatur quod a piis Iudeis exspectabatur divinum liberationis beneficium: Lc 1, 68; 2. 38 ($\lambda\sigma\tau\rho\omega^{\gamma}is$); 24, 21 ($\lambda\sigma\tau\rho\omega^{\gamma}\delta\alpha$). Quibus addi potest Moyses ($\lambda\sigma\tau\rho\omega^{\gamma}s$) Act 7, 35.

Quater agitur secundum contextum de peccatorum remissione accepta vel intenta: Eph 1, 7; Col 1, 14; Hebr 9, 15 ($\lambda\pi\omega\lambda\sigma\tau\rho\omega^{\gamma}s$); Tit 2 14 ($\lambda\sigma\tau\rho\omega^{\gamma}\delta\alpha$).

Quater, uti videtur,⁵⁰ intenditur completa illa redemptio ultimo die peragenda: Lc 21, 28; Rom 8, 23; Eph 1, 14; 4, 30 ($\lambda\pi\omega\lambda\sigma\tau\rho\omega^{\gamma}s$)

Semel ipse Christus redemptio dicitur (1 Cor 1, 30), semel idem aeternam redemptionem invenisse (Hebr 9, 12), semel denique connectitur redemptio cum gratia et gratuita iustificatione et brevi post cum propitiatorio per fidem in sanguine Christi (Rom 3, 24); in quibus bis adhibetur vox, ($\lambda\pi\omega\lambda\sigma\tau\rho\omega^{\gamma}s$, semel autem $\lambda\sigma\tau\rho\omega^{\gamma}s$ (Hebr 9,

Remanent tamen loca nunc examinanda quae medium quoddam adhibitum vel pretium solutum significant.

1. "Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei sed ut

ministraret et daret animam suem redemptions pro multis
[δοῦλαι τῆν ψυχὴν ἀντοῦ λύτρων ἀντιτίθεντο].

Ita Mc 10, 45 et Mt 20, 28, in quibus idem praeterea est contextus, nempe, petitio pro filiis Zebedaei, indignatio duodecim, praeceptum Domini ut, inter discipulos, maiores sint ministri et primi sint servi,⁵¹ quod exemplo ipsius Filii hominis confirmatur.

"Dare animam suam" semitismus videtur, uti "ponere animam suam" apud IO 10, 11.15.17.

"Redemptio" hoc in loco dicit medium quoddam liberationis 52 Praepositio adhibita non ὅπῃ sed ἀντὶ; sensus possibilis ex usu NT illustratur sequentibus: (1) loco alterius, regnare pro patre suo, Mt 2 28; (2) retributio, oculum pro oculo, malum pro malo Mt 5, 38; Rom 12, 17; 1 Th 5, 15; 1 Pet 3, 9; (3) substitutio, pro pisce dare sepentem Lc 11, 11; (4) electio, proposito gaudio, sustinuit crucem, Hebr 12 2; (5) in utilitatem, dare staterem ex ore piscis sumptum pro me et te, Mt 17, 28.

"Pro multis" recolit Is 53 11: "iustificabit ipse iustus servus meus multos et iniquitates eorum ipse portabit."

Conferendum videtur verbum Domini: "Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero sua detimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem (ἀνταλλάγμα) pro anima sua? Mt 16, 26. (Mc 8, 37). Et illud S. Pauli: omnia detimentum feci et arbitror ut stercore, ut Christum lucrifaciam" Phil 3, 8.

2. "... homo Christus Iesus, qui dedit redemptions semet ipsum pro omnibus (ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντόν τινα πέπλη τίλυτων), Ita S. Paulus (1 Tim 2, 4) ubi universalem Christi mediatorem praedicat et fere repetit ipsa verba Domini.

3. "... non corruptilibus auro vel argento redempti estis... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati..."

Ubi de sanguine tamquam liberationis instrumento loquitur S. Petrus

(1 Pet 1, 18).

4. Accedunt varia loca ubi adhibentur voces, *τιμή, ἀγορά, σέιρα, εἰσαγόρα, σίλικη*, 53 Ita Corinthii pretio empti esse dicuntur, ut corpora sua non sua sed Christi sint, ut ipsi non sui sed Spiritus sancti sint (1 Cor 6, 15-20), ut qui liberi vocati sint, servi hominum fieri nolint, cum servi sint Christi (1 Cor 7, 24 s). Dicitur praeterea Christus nos coemisse de maledicto legis (Gal 3, 13) et eos qui sub lege erant coemisse (Gal 4, 5). Reprobatur S. Petrus eos qui "eum qui emit eos Dominum negant" (2 Petr 2, 1). In Apocalypsi empti fit Deo in sanguine Christi ex omni tribu, populo, et natione (Apoc 5, 9), 144,000 de terra (14, 3); virginum (14, 4).

5. Neque aliena sunt loca ubi affirmatur Dominus se dedit pro peccatis nostris (Gal 1, 4), se dedit pro nobis ut nos redimeret ab omni iniustitate (Tit 2, 14), se tradidisse pro me (Gal 2, 20), pro nobis (Eph 5, 2), pro ecclesia (Eph 5, 25), vel traditum esse propter delicta nostra (Rom 4, 25) pro nobis omnibus (Rom 8, 32).

Quibus perpensis, sequentia ex doctrina NT concluduntur:

(1) Distinguendum est inter redemptionem ut finem et redemtionem ut medium. Redemptio ut finis est status ille quo liberemur a potestate tenebrarum, a peccatis, a poenis; a timore mortis, quo reprobationem accipimus, Deo reconciliamur, iustificamur, inhabitationem Spiritus et Filiorum adoptionem habemus, spe saluti sumus, cum fiducia ad Deum accedere possumus, resurrectionem carnis, vitam cum Christo, gloriae coronam vel adhuc expectamus vel quandoque possidebimus. Redemptio autem ut medium dicit id quo hic status oritur et producitur, non solum causalitate, sed etiam et praecepit sub illa conditione Christo onerosa, quae erat mors crucis. Potuit enim Dei Verbum de caelis nos salvare; potuit Verbum caro factum praeter passionem et mortem nos salvare; sed de facto passione et morte nos salvos fecit. 54

(2) Iis suppositis quae superius de morte Christi collegimus et nuperrime de solutione pretii recitavimus, satis docent Christum ex divino decreto de actuali rerum ordine sub onerosa conditione "dandi animam suam", salutem omnium hominum esse operatum. Metaphorica sane fuit illa pretii solutio, quippe quae non corruptilibus auro vel argento peracta est; at realis quaedam operatio et quasi commutatio per pretii solutionem significatur, cum realis fuerit mors Christi, realis sit nostra salus, et haec cum illa asseritur connexa.

(3) Sensus fundamentalis illustrari videtur optime ex illis verbis Domini: "Aut quam dabit homo commutationem pro crima sua?" Si de vita terrestri agitur, nihil mere terrestre sur daretur, ~~pro ipso sua vita~~. Si de vita aeterna agitur, nihil est quod pro ea non sit dandum. Christus vitam suam terrestrem dedit pro vita aeterna omnium.

(4) Quod si quaeritur cuinam solutum sit pretium, nimis premi videtur metaphora. Saltem dicendum est opinionem aliquando diffusam, Christum diabolo pretium solvisse, iam pridem censeri obsoletam.

(5) At ulterius quaeri potest cur nam Deus pretium nostrae salutis exegerit. Sed quamvis certissimum sit adesse rationem prorsus sufficientem, eamque iustissimam, certum etiam est nos non posse eam intelligere nisi imperfecte et analogice. Quare, quamvis haec intelligentia forte fructuosior sit quam reliqua intelligentia theologica, prudentius tamen procedit qui primo clare determinet quid sit intelligendum ut postea aliquam intelligentiam assequi nitatur.

A R T I C U L U S XVIII.

DE SACRIFICIO NOVI TESTAMENTI

In sacrificiis distinguuntur (1) effectus: peccatorum remissio, sanctificatio, accessus ad Deum cum fiducia; (2) effectum recipiens, populus pro quo fit oblatio; (3) agens, sacerdos, pontifex; (4) patiens, hostia, victima; (5) actio, oblatio victimae a sacerdote; et

(6) fundamentum, foedus, testamentum, quo constituitur sancta illa societas in qua assumuntur sacerdotes de populo ut sacrificia pro populo offerant Deo.

Casteris fundamentis praestat foedus seu testamentum divinitus institutum. Quod tamen foedus Deus per Moysen cum populo Israelitico in sanguine (Exod 24, 8; Hebr 9, 19-21) inivit, veterandum praedixit Ieremias novumque annuntiavit, quo omnes intime Deum Deique leges scierant, quo "ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum", quo "propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum iam non recordabor" (Hebr 8, 8-12; Ier 31, 31-34). Quod promissum atque novum testamentum initum est et sancitum in sanguine Christi qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum (Mc 14, 24; Mt 26, 28; Lc 22, 20; 1 Cor 11, 25). Quam ob causam dicitur Dominus melioris et novi testamenti sponsor atque mediator (Hebr 7, 22; 8, 6; 9, 15; 12, 24). 55

Quantum autem veteri novum praestet testamentum, fere tota ad Hebraeos epistola exponit, comparatis (1) mediatoribus Moyse (cf. Gal 3, 19,20 et Filio, (2) sacerdotiis Levi et Melchisedech, (3) sacrificiis ad emundationem carnis et sacrificio ad emundationem conscientiae.

(1) Fidelis quidem erat Moyses, sed sicut famulus in domo sua quae sumus nos (3, 2-6). Ipse enim Filius, splendor gloriae et figura substantiae divinae, heres constitutus universorum per quem fecit et saecula (1, 2 s.), cui omnia subiecta (1, 13; 2, 8), participavit carni et sanguini (2, 14) per omnia nobis assimilatus absque peccato (2, 17; 4, 15). Nam ut misericor fieret et fidelis pontifex ad Deum (2, 17; 4, 15; 5, 2) Passionibus eum perfici decuit (2, 10), et passus est et tentatus per omnia pro similitudine (2, 18; 4, 15), unde et ex iis quae passus est didicit obedientiam et perfectus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae (5, 8 s.).

(2) Deinde, postquam sacerdotium secundum Melchisedech sacerdotio Levitico superius demonstratum est (7, 1-14) introducitur sacerdos secundum similitudinem Melchisedech "qui non secundum legem mandati

carnalis factus est, sed secundum virtutem vitae insolubilis" (7,16). Qui quidem divino iuramento sacerdos constituitur (5, 4-6; 17.21), dum Levitici sine iuramento erant (7, 20). Hic sempiternum habet sacerdotium et in aeternum manet (7, 24.3), sed illi quia moriebantur multi erant (7, 23). Hic innocens, sanctus, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior caelis factus (7, 26), sed illi pro propriis delictis offerre debebant (5, 3; 7, 27). Hic semel in ipsum caelum per suam hostiam apparuit (9, 24-26), sed illi saepe in tabernaculum manufactum introierunt (9, 6.7.25). Hic Filius in aeternum perfectus (7, 28), sed lex nihil ad perfectum adduxit (7, 11.18.).

(3) Denique, sacrificia legis nisi umbram non habebant futurorum bonorum (10 4.11). Quibus reprobatis, ipse Filius corpore sibi aptato venit ad faciendam voluntatem Dei (10, 5-7), in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel (10 10; 7, 27). Cuius sanguis emundat conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi (9, 14), tollit praevaricationes quae erant sub priori testamento (9, 15). Christus enim semel in consummatione saeculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit (9, 26); semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata (9, 28); unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei (10, 12) una enim oblatione consummavit in aeternum sanctificatos (10, 14). Impletum ergo est verbum propheticum: "et peccatorum et iniuratum eorum iam non recordabor amplius. Ubi autem horum remissio, iam non est oblatio propeccato" (10, 17.18).

Christus ergo novi testamenti factus est sponsor, mediator, sacerdos et hostia; per suum sanguinem sanctificavit populum (13, 13), et purgationem peccatorum effecit (1, 3).

Quod in caeteris scriptis NT brevius indicatur. Etenim pascha nostrum immolatus est Chrisut (1 Cor 5, 7; cf Io 1,29; Act 8, 32; Is 53, 7; 1 Pet 1, 19; 1 Io 3, 5). Christus factus est sanctificatio nostra (1, Cor 1, 30; cf. Hebr 2, 3; 13, 13).

Christus dilexit nos et tradidit ~~se~~met ipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis (Eph 5, 2; Ps 39, 7). Missus est propitiatio pro peccatis nostris (1 Io 4,10) et pro peccatis totius mundi (Ibid., 2, 2). Eum proposuit Deus propitiatori per fidem et sanguine eius (Rom 3, 24).

Quibus accedunt quae de efficacia sanguinis Christi affirmantur. In eo enim iustificamur (Rom 5, 9); per eum habemus redemptionem, remissionem peccatorum nostrorum (Eph 1, 7; Col 1, 14), pacificationem (Col 1, 20). In eo Christus nos redemit Deo (Apoc 5, 9) et lavit nos a peccatis nostris (Apoc 1, 57, 14). In eo qui erant longe facti sunt prope (Eph 2, 13). Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato (1 Io 1, 7); eius aspersio melius loquitur quam sanguis Abel (Hebr 12, 24; cf. 1 Pet 1, 2); eo adquiritur ecclesia (Act 20, 28); propter eum habetur victoria (Apoc 12, 11)

ARTICULUS XIX.

DE OBEDIENTIA MERITORIA.

Missio Filii a Deo Patre in opus nostrae salutis (Gal 4, 4.5; Rom 8,3.4) tum ipsam Filii personam respicit, missio dicit aeternam personae processionem a Patre, addito ad extra termino conveniente. 57 Quatenus autem actus humanos a Filio perficiendos respicit, illam dependentiam dicit quam obedientiam nominamus. Sicut enim praecepere est alium per rationem et voluntatem movere, 58 ita obedire est ab alio per rationem et voluntatem moveri. 59

Ita Christus affirmat se habere a Patre tum alia mandata (Io 15, 10), tum mandatum quid dicat et loquatur (Io 12, 49), tum denique mandatum ponendi animam suam et iterum sumendi eam (Io 10, 17.18). Quibus mandatis respondent facta. Testatus enim est Christus se docere non suam doctrinam sed eius qui eum misit (Io 7, 16.18; 8, 28; 14, 24), se de caelo descendisse ut faceret non voluntatem suam

sed eius qui eum misit (Io 6, 38), se quaerere non voluntatem suam sed eius qui eum misit (Io 5, 30), suum cibum esse ut faceret voluntatem eius qui eum misit et opus eius perficeret (Io 4, 34), se semper facere quae placita sunt Patri (Io 8, 29), se mandata Patris servare et in dilectione Patris manere (Io 15, 10). Quare in articulo mortis dixit: "Consummatum est" (Io 19, 30).

Obedientiam Christi in passione et morte acceptanda memorant tum alia evangelia (Mc 14, 36; et loc. par.) tum S. Paulus (Phil 2,8) qui etiam obedientiae meritum innuit (Rom 5, 19), si quidem non per ipsam unius obeditioνem iusti constituuntur multi nisi inquantum obeditio est opus praemio dignum.

Secundum epistolam ad Hebreos, Christus mundum ingrediens agnovit tum sacrificia veteris legis esse reprobata tum corpus sibi esse aptatum, dixitque "Ecce venio. In capite libri scriptum est de me ut faciam, Deus, voluntatem tuam" (Heb 10, 10). Sed et praeterea legimus decuisse Deum Patrem passionibus Filium perficere (Heb 2,10), ipsumque Filium ex iis quae passus est obedientiam didicisse et, cum ad perfectionem pertigasset, factum esse omnibus obtemperantibus sibi causam salutis aeternae (Heb 5, 8.9).

Quaenam autem sit illa ex passionibus orta perfectio et obedientiae addiscentia, forte sic declarari potest. Sicut ipse homo non solum anima sed etiam corpore constituitur, ita etiam actus humanus plenus atque perfectus non solum actu interiori intellectus et voluntatis sed etiam actu exteriori sensibili et corporali componitur, et ipsa denique obedientia non solum intellectus et voluntatis obsequium sed etiam corporis executionem complectitur. Nam vero cum in nobis spiritus quidem promptus sit, caro autem infirma (Mc 14, 38), omnino manifestum est quantum intercedat inter velle et perficere, quantoque perfectio sit ipse interior voluntatis actus cum non solum velimus bonum facere sed etiam ita velimus ut faciamus.

Quam quidem difficultatem, auget quidem lapsa nostra natura humana, sed fundat potius ipsa differentia inter proportionem partis intellectivae et proportionem partis sensitivae. Quatenus enim intellectuales sumus, in totum ens totumque bonum naturaliter tendimus; quatenus autem sensitivi sumus, in ea obiecta tendimus quae sensibus sensitivisque appetitibus proportionantur; et ideo, etiam praeceptione facta a corruptione nostrae naturae, non prae virtutis est corpore perficere quaecumque approbat intellectus et optat voluntas intellectum sequens.

Iam vero Dei Verbum, caro factum (Io 1, 14) ita corpus sibi aptatum habuit (Heb 10, 5), ita carni et sanguini communicavit et participavit (Heb 2, 14), ut fratribus per omnia similaretur (Heb 2, 17) tentatus per omnia pro similitudine absque peccato (Heb 4, 15). Cumque inter opera supernaturalia opus supremum non solum mente sed etiam corpore perfecturus fuerit, mirari non possumus quam narrant evangelia coartationem (Lc 12, 50), quam animam conturbationem (Io 12, 27), quod desiderium (Lc 22, 15), quem pavorem, quod taedium, quam tristitiam usque ad mortem (Mc 14, 34).

Quae cum ita sint, dicendum videtur ideo Christum passionibus esse consummatum seu perfectum (Heb 2, 10) et ideo ex iis quae passus est obedientiam didicisse (Heb 5, 8), quod actus exterior interioribus actibus eo plus perfectionis proportionem sensibilitatis et corporis excedit.

Quam Christi obedientiam usque ad mortem, mortem autem crucis, et liberam fuisse et meritoriam, dubitari non potest. Nam ipse suam libertatem affirmit (Io 10, 17) seque posse a Patre impetrare sui liberationem e manibus Iudeorum (Mt 26, 53). Cumque opus excellentissimum peregerit viator, sane praemium dignum fuit. Quod innuit Apostolus docens Christum propter humilitatem et obedientiam esse exaltatum (Phil 2, 9); quod vidimus in eo contentum quod per unius obedientiem iusti constituuntur multi (Rom 5, 19); quod docet conci-

lium Tridentinum, causam nempe meritoriam nostrae iustificationis esse suam sanctissimam passionem in ligno crucis. (DB 799)

A R T I C U L U S XX

DE VICARIA PASSIONE.

Vicarium intelligimus qui quodammodo vice alterius vel agit vel patitur.

Vicarium sensu activo fuisse Christum, dubitari non potest. Non enim nos sed ille pro nobis sacrificium Deo Patri obtulit. Neque nos sed ille pro nobis meritorie obedivit.

Quibus tamen in omnibus aspectus activus a passivo disiungi non potest. Nam non solum Christus pretium solvit sed etiam "dare animam suam" erat pretium solvendum. Non solum ipse sacerdos sacrificium obtulit sed etiam hostia erat offerenda. Non solum Deo Patri obedivit, sed ipsa haec obedientia mortis acceptatio fuit.

Quapropter haud fieri potuit ut Christus ita vicarius vice nostri egerit ut non etiam vicarius vice nostri sit passus. Cum ergo tam saepe in sacris litteris repetatur vel "pro nobis" vel "pro nostris peccatis", intelligit sensus fidelium non solum Christum egisse ut peccata nostra auferantur se etiam eum ideo esse passum quia nos peccavimus.

Quae cum ita sint, de vicaria Christi passione inquirimus, non ut Christum ita egisse et fecisse probemus ut peccata tolle rentur, sed ut Christum passum esse et mortuum demonstremus quia contra Deum ab hominibus peccatum est, peccatur, et peccabitur.

Quae quidem quaestio ponitur non tam de nudo facto quam de nexus causalii. Facta supra vidimus, Christum scilicet pretium solvisse, sacrificium obtulisse, meritorie obedivisse. Nunc vero causam quaerimus, non quidem finalem quae in aperto est, sed antecedentem et moventem propter quam non aliud fuerit pretium quam "dare animam suam", neque alia fue-

rit sacrificii hostia quam corpus suum datum et sanguis suus effusus, neque alia fuerit obedientia quam acerbissimae in cruce mortis acceptatio.

Praeterea, antecedentem hanc, atque moventem causam quaerimus secundum divinam intentionem. Potuit enim Christus passionem mortemque declinare (Mt 26, 53). Voluisset calicem transferri, nisi aliam scevisset esse Patris voluntatem (Mc 14, 36). Sed oportebat eum pati (Lc 24, 26.46). Definito consilio et praescientia Dei traditus est (Act 2, 24; 4, 27). Secundum scripturas mortuus est (1 Cor 15, 3; Act 3, 18). Deus Pater proprio suo Filio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum (Rom 8, 32).

Quod si passio morsque Christi secundum divinam intentionem facta est, mane sine ratione non est facta. Quam rationem quaerimus et dicimus Christum ad nos redimendos, non in nubibus caeli et sedentem a dextris virtutis venisse, sed in carne passibili atque passura propter peccata. Ideo ergo Christus pro nobis vicarius non solum egit et fecit sed etiam passus et mortuus est, quia non solum vitam aeternam nobis communicandam habuit sed etiam peccata auferenda et peccatores Deo Patri reconciliandos.

Neque christianum quemquam hoc dubitate posse censemus, cum tam saepe in sacris scripturis non actio Christi sed mors, pro nobis et pro nostris peccatis esse dicatur. Pro omnibus enim mortuus est Christus (2 cor 5; 15 Heb 2, 9) pro singulis (Rom 14, 15; 1 Cor 8, 11) pro impiis (Rom 5, 6) pro nobis (Rom 14, 15; 1 Cor 8, 11; 1 Th 5, 10) et pro peccatis nostris (1 Cor 15, 3; 1 Pet 3, 18). Unde et dicitur dedisse animam suam redemptionem pro multis (Mc 10, 45; Mt 20, 28) et pro omnibus (1 Tim 2, 6) seque dedisse pro nobis (Tit 2, 14) et pro nostris peccatis (Gal 1, 4), seque tradidisse pro nobis (Eph 5, 2) et pro ecclesia (Eph 5, 25) et pro me (Gal 2, 20), et traditum esse pro nobis omnibus (Rom 8, 32) et propter delicta nostra (Rom 4, 25)

Quibus quamvis sufficient accedit quod praetermittere non oportet. Nam apud Isaiam, 53,4-12, narratur de quodam iusto (9cd, 11c) atque tacente (7d), qui propter iniquitates alienas (5abc, 7a 8d, 11d, 12e) divina voluntate (6c 10a) vulneratur, atterritur, conteritur, laborat, ponit animam suam, tradidit in mortem animam suam (5ab, 10ab, 11a, 12c) unde fructum duraturum meretur multorumque iustificationem (10 cd, 11bc, 12ab). Qui quidem locus, etsi in multis et subtilioribus quaestionebus exegetas iam pridem occupet, 61 quoad sensum tamen generalem nostraeque intentioni sufficientem omnino clarus est. Praeterea, etsi non omnia de morete Domini fuerint semper intellecta (Mt 8,17; 10,6), in ipso tamen novo testamento locus uti messianicus habetur (Act 8, 32-36) et de morte Domini intelligitur non solum brevioribus allusionibus (Mc 15, 28; Lc 22, 37; 23, 34; Rom 4, 25) sed etiam longiori sermone (1 Pet 2, 22-25). Imo vix dubitatur ipsum Iesum hunc locum de se intellexisse, et cum Filiu hominis passurum, moritum, resurrectum praedixerit (Mc 9, 12.31; 10, 33, 34-45), et cum se mori oportuisse explicaverit (Lc 24, 26.46). Denique tandem constat traditionem catholicam hunc locum de morte Domini et sponte et constanter interpretatam esse.

Cæterum nec desunt scripturae loca quæ speciali modo et nostra peccata et Dominum nostrum patientem atque morientem coniungantur. Nam "peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super ligno...cuius livore sanati estis" (1 Pet 2, 24); et traditus est propter delicta nostra" (Rom 4, 25); et ~~nam~~ 'Deus Filiu suum mittens in similitudinem carnis peccati et de peccato damnavit peccatum in carne' (Rom 8,3) et 'eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit' (2Cor 5, 21) 62 et 'Christus non redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno' (Gal 3, 13; Deut 21, 23); quibus accedunt quæ de agno, sane symbolo passivitatis, dicantur (1 Pet 1, 19; Io 1, 29; Apoc 7, 12,11).

ARTICULUS XXI

DE VIRTUTE RESURRECTIONIS.

Iam distinximus redēptionem ut medium et redēptionem ut finem. Et finis quidem erat omnia instaurare in Christo (Eph 1, 10); medium autem pretii solutio, victimae a sacerdote oblatio, meritoria obedientia, passio morsque vicaria. Cum tamen regnum, quo omnia instaurantur atque reconciliantur (Col 1, 18), filios Dei, qui erant dispersi, in unum congreget (Io 11, 52), ideoque per paenitentiam atque fidem propagetur (Mo 1,15); Act 2, 37.38), non tam per medium quam per mediatorem efficitur, neque tam in morte Christi constituitur quam in Christo mortuo atque resurrecto. 63

Christus enim, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu (1 Pet 3, 18), non iam cognoscitur secundum carnem (2 Cor 5,16) cum factus sit spiritus vivificans ~~spiritus~~^{ns} ~~spiritus~~^{spiritus} (1 Cor 15, 45; Io 6, 62-64) Et Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum (Rom 1, 4; Act 13,33). Nam 'traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram' (Rom 4,25). Quare 'si Christus non resurrexit, vana est fides vestra; adhuc enim estis in peccatis vestris' (1 Cor 15, 17). Quod sane non ita intelligendum est quasi non sufficeret mors Christi ad peccata tollenda; sed ideo asseritur ut praeter medium nostrae salutis in mentem reducatur eiusdem mediator, 64. Sicut enim peccatum non est impersonalis quidam actus humanus malus sed Dei offensa, ita etiam per personam Filii mediatorem Deo Patri reconciliamus.

Quam ob causam, non in sola cruce moriens erat Christus noster sacerdos, sed factus est pontifex in aeternum (Heb 6, 20; 7, 28) melius sortitus ministerium (Heb 8,6), concedens in dextera sedis magnitudinis in caelis, sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fit Dominus et non homo (Heb 8,1.2). 'Non enim in manufacta sancta

Iesus introivit exemplaria verorum sed in ipsum caelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis' (Heb 9, 24); unde et facit 'sanguinis aspersione melius loquentem quam Abel' (Heb 12,24; Gen 4, 10; 1 Pet 1,2); namque qui per aeternum spiritum semetipsum obtulit immaculatum Deo, et aeternam redemptionem invenit, eius sanguis emundabit conscientia nostra ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi (Heb 9, 14.12). Vivit enim (Heb 7, 8) et sacerdos est non secundum legem mandati carnis sed secundum virtutem vitae insolubilis (Heb 7, 16) et 'eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium' (Heb 7, 24) quo 'proximamus ad Deum' (Heb 7, 19).

Immo, semper vivit ad interpellandum pro nobis (Heb 7, 25) Christus Iesus, qui mortuus est, immo qui resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis (Rom 8, 34). Quid autem interpellat, narrare videtur S. Ioannes in illa oratione in qua dixit Iesus: 'et iam non sum in mundo' et 'cum essem cum eis, ego servabam eos' (Io 17, 11.12). Quo in loco postquam pro se (Io 17, 1-5) et pro apostolis (vv. 6-19) oravit, etiam eos memorat 'qui credituri sunt per verbum eorum in me' (20). Pro quibus orat 'ut unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint' (21.22). Affirmat se iis illam claritatem dedit, quam Pater ipsi Christo dedit (22); Patrem eos diligere, sicut et Christum diligit (23.26). Orat 'ut ubi sum ego et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi quia dilexisti me ante constitutionem mundi' (24, cf. 5). Neque dubitate potest Christum, sicut se ipsum sanctum seu sacrum pro apostolis fecit, ita etiam se sacrum fecisse pro credituris (19) quos etiam Deo offert (1Pet 3, 18; cf. 2, 5).

Accedit quod ante glorificationem Iesu non est datus Spiritus (Io 7, 39); 'si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos' (Io 16, 7). Iam vero tam in Spiritu Dei nostri quam in nomine Domini Iesu Christi abluti, sanctificati,

iustificati sumus (1 Cor 6, 11); et ideo filii adoptionis facti sumus quia misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem: Abba, Pater (Gal 4, 6; Rom 8, 15); et per donum Spiritus sancti a Domino resurrecto factum accepta est potestas clavium (Io 20, 22.23).

Quibus perspectis, quia' consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae, appellatus a Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech' (Heb 5, 9.10), dicendum esse videtur non per solam mortem sed per mortem et resurrectionem causam salutis esse factam, qui non solum pro peccatis nostris mortuus est* sed etiam resurrexit ut spiritus vivificans sit et sacerdos in aeternum, semper pro nobis interpellans, et Spiritum Patris nobis immittens, et nos in caelo secum desiderans. Praeterea, cum addatur 'causa omnibus obtemperantibus sibi', causalitatis modus innui videtur. Nam a Patre persona mittitur Filius persona ad nos personas in opus reconcilationis ut dilectio, qua Filium proprium dilexit, etiam nobis detur ipse nempe Spiritus, qui est Amor a Patre Filioque procedens. Sicut enim in baptismo Christi et declaratur dilectio Patris erga Filium et eadem dilectio sub forma columbae apparuit, ita etiam in baptismo nostro dilectio Patris erga Filium propter Filium in filios adoptionis extenditur ut per donum Spiritus sancti clamant Abba, Pater; quod quidem donum increatum cum creato gratiae dono et peccatorum remissione nectitur, uti alibi explicari solet.

CAPUT QUARTUM

DE CRUCE CHRISTI

Alias christiana fidei doctrinas saepius contingit quoad ipsum factum in novo testamento explicite contineri sed quoad pleniorum facti intelligentiam nisi a Patribus et theologis non explicite proponi. Sed nostrae redempcionis dogma, sicut abundantius in verbo Dei inspirato exponitur, ita etiam ea lege declaratur ut, quemadmodum sit

intelligendum, haud dubitari possit. Crux enim Christi non solum factum quoddam est sed etiam paeceptum atque exemplum; Christo crucifixo conformari eique consociari debemus; neque aliud principium in tota nostrae salutis oeconomia altius iacet quam malorum in bonum transformatio. Quam ob causam, prius de ratione, lege, mysterio, iustitia crucis agendum esse duximus, quam alias et theologicas quæstiones adgredenderetur.

A R T I C U L U S XXII

D E R A T I O N E C R U C I S.

Ratio crucis est mali in bonum transformatio, secundum illud, 'Noli vinci a malo, sed vince in bono malum' (Rom 12, 21). Dicit ergo (1) malum vincendum, (2) victoriam voluntariam, et (3) bonum e malo per victoriam ortum. Consideratur autem haec ratiō tripliciter: nam prima est analytica consideratio quae ipsam rationem examinat; altera est generalis consideratio quae eamdem rationem in tota vita christiana perspicit atque observat; tertia est specialis consideratio quae in Christo crucifixo Dei sapientiam contemplatur (1 Cor 1, 23. 24). Quare+ analytice de ipsa crucis ratione agemus, generaliter de lege crucis quae vitam christianam informat, et specialiter de mysterio crucis quo salus nostra peracta est.

Circa ipsum malum vincendum, distingui oportet inter malum culpas et consequens malum poenae. Malum enim culpae est defectus rationalitatis intra ipsam rationalem conscientiam creaturae rationalis. Malum autem poenae includit omne malum consequens sive intra ipsum peccatorem, sive in actione eius exteriori, sive in situatione humana in peius mutata, sive in retributione iusta propter culpam inflictæ. Quare, in rebus humanis sufficienter dividitur malum in malum culpae et malum poenae, l si quidem mala quae ex causis naturalibus proveniunt quasi per accidens res humanas afficere reputantur.

Iam vero malum poenae non solum ex malo culpe oritur sed etiam vehementer in malum culpe inclinat. Nam conscientia rationalis est imago Dei intra hominem, et participata similitudo lucis increatae, et personalis habitudo ad lucem illam personalem quae omnem hominem illuminat. Qui ergo a propria rationalitate deficit, et contra se ipse peccat quatenus a Deo illuminante et in vitam divinam invitante recedit ut a Deo separatus in tenebris habitet atque in umbra mortis. Attamen si 'lumen quod in te est tenebrae sunt' (Mt 6, 23), non tamen simpliciter tenebrae sunt, ut ulterioris peccati incapacitatis oriatur, sed potius oculum internum faciunt nequam, ut et verum bonum non cogitetur et vice malum facilissime multiplicetur. Iterum, si bona conscientia te Deo coniungit, sollicitus es quae Domini sunt quomodo placeas Deo ~~xxxixmgtix~~ (1 Cor 7, 32); sed si mala conscientia te a Deo seiungit, vivis alienatus et inimicus sensu operibus malis (Col 1, 21) spem non habens et sine Deo in hoc mundo (Eph 2, 12)

Neque minus exteriora quam interiora peccati consectaria in peccatum inclinant. Si enim 'lumen quod in te est tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae erunt?' (Mt 6, 23). Interior enim irrationalitatis defectus in exteriori actione et in effectibus actionis sese repetit atque extendit. Ex quo fit ut in situatione peccatis corrupta cum personis peccato corruptis vivendum sit quatenus vivimus et collaborandum sit quatenus collaboramus. Quae sane vita atque collaboratio esse non potest nisi regnum peccati secundum quamdam peccati legem, nisi mira quaedam supervenerit lux, nisi facta erit nova creatura, nisi data erit Dei iustitia.

Quod malum culpe et poenae secundum rationem crucis per victorię voluntariam est vincendum. Haec ergo victoria non in eo est quod delentur peccatores ut nullum iam remaneat culpe vel poenae malum. Neque haec victoria in eo est quod suspenduntur leges naturales, psychologicae, sociales, religiosae, historicae, quibus ex privato et indivi-

duali malo culpae per innumera poenae mala premiatur atque urgetur in mala culpae multiplicanda. Sed manentibus malo culpae et malo poenae, vincitur malum in bono per victoriam voluntariam.

At quomodo vincitur malum? Contraria contrariis curantur. Sicut critur malum culpae per defectum conscientiae rationalis atque per aversionem a Deo, ita vincitur malum culpae per conversionem ad Deum et per restorationem rationalis conscientiae. Sicut malum poenae in malum culpae inclinat quia tam interius quam exterius bonum reddit difficilius efficitur. Praeterea, sicut multiplicatur et, donec vincatur, malum culpae repetitur, ita ipsa haec multiplicatio vincitur quatenus malum poenae per difficilius bonum patienter absorbetur.

Haec ergo victoria voluntaria non ipsam iustitiam respicit sed inter peccatores possibilitatem in iustitiae. Ipsa enim humana iustitia reddit 'cuique suum' et 'adaequalitatem.' Sed peccatum humanum sibi rapit quod alterius est, neque secundum mensuram rapit, sed quantum potest. Peracto ergo peccato, statum qui ante peccatum erat quaerunt iusta tribunalia et iusta bella. Peracto peccato, ipsa iustitia aliud non intendit quam ut e rapientibus raptata eripiantur et iustis dominis restaurentur. Sed alia est haec iustitia victrix, et alia est ratio crucis. Crucis victoriam reportant non iudices neque belli duces sed mites et humiles corde. Crucis victoria per legem 'meum alteri' vincit legem raptoris, 'alterius mihi'. Crucis victoria per mensuram suae superabundantiae vincit avaritiam raptoris insatiablem. Et similiter res se habet circa iustitiam.

Tertio, considerandum est bonum e malo per victoriam ortum, quod quidem duplex est. Nam ipsa victoria in se maxime confert, tum ad perfectionem vincentis, tum ad situationem humanam in melius mutandam. Quibus accedit divina providentia quae facit ut diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum (Rom 8, 28); ex hac enim dilectione fit ut, sive bonum sive malum accipimus, vel aliud bonum vel maximum crucis bonum habeamus. Et Deus 'modicum passos ipse perficiet' (1 Pet 5,10).

secundum mensuram suam bonam et confertam et coagitatam et superef-
fluentem (Lc 6, 38).

ARTICULUS XXIII

DE LEGE CRUCIS.

Lex crucis est ratio crucis prout ad novum testamentum pertinet.
Pertinet autem per modum praecapti, per modum exempli, conformatio-
nis, et consociationis, et per modum oeconomiae.

Praeceptum multipliciter declaratur. 'Audistis quia dictum est
Oculum pro oculo, et dentem pro dente. Ego autem dico vobis non
resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam,
praebet illi et alteram; et ei qui vult tecum iudicio contendere et
tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium; et quicumque te angariave-
rit mille passus, vade cum illo et alia duo. Qui petit a te, da ei; et
volenti mutuari a te ne avertaris. Audistis quia dictum est: 'Diliges
proximum tuum et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis:
Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, ut sitis
filii patris vestri qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super
bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos. Si enim diligitis
eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc
faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius fa-
citis? nonne et ethnici hoc faciunt. Estote ergo perfecti, sicut et
Pater vester caelestis perfectus est.' 2

Iterum: 'Et convocata turba cum discipulis suis dixit eis: Si
quis vult me sequi, deneget se met ipsum et tollat crucem suam et seque-
tur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui
autem perdiderit animam suam propter me et evangelium, salvam faciet
eam'. 3

Iterum: 'Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in
terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit,

multum fructum afferit. Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam, in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.' 4 Io 12, 24.45

Deinde per modum et paecepti et exempli: 'Iesus autem vocans eos ait illis: Scitis quia hi qui videntur principiari gentibus, dominantur eis, et principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri maior, erit omnium minister; et quicumque in vobis voluerit primus esse, erit omnium servus. Nam et Filius hominis non venit ut ministraret ei, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis.' 5

Iterum per modum et paecepti et exempli: 'Haec est enim gratia si pripter Dei conscientia sustinet quis tristitias, patiente iniuste. Quae enim est gloria, si peccantes et colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis, haec est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis, quia est Christus passus est pro te nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius, qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem se iudicanti se iniuste. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortuis, iustitiae vivamus; cuius livore saniati estis.' 6

Iterum per modum et paecepti et exempli, cum S. Paulus Philippenses exhortatus sit ut 'in humilitate superiores sibi invicem' arbitrentur (Phil 2, 3), eius attulit exemplum, qui semet ipsum exinanivit formam servi accipiens et semet ipsum humiliavit factus obediens usque ad mortem crucis (Phil 2, 7.8).

Ulterius, per modum conformatio[n]is et consociationis. Sicut enim Dominus noster secundum mandatum Patris sui posuit animam suam ut iterum sumeret eam (Io 10, 17.18), ita nos compatimur ut conglomericemur (Rom 8,17). Quare, socii passionum eius configuramur morti eius si quomodo occurramus ad resurrectionem quae est ex mortuis

(Phil 3, 10.11). Et communicantes Christi passionibus nunc quidem gaudemus, ut in revelatione gloriae eius exultemus (1 Pet 4, 13). Quia enim mundus, sicut magistrum, ita discipulos odio habet (Io 17, 14), dixit Paulus minister: 'gaudio in passionibus pro vobis et adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est ecclesia' (Col 1, 24). Quos enim praescivit Deus, eos praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus (Rom 8, 29). Sed vix dici potest quantum in novo testamento inculcatur dilectio Christi crucifixi, eius imitatio, ad eum conformatio, cum eo consociatio. 7

Denique tandem ratio crucis in novo testamento legem dicit ipsius oeconomiae. Non is enim erat mundi salvator quem exspectabant vel ipsi discipuli (Lc 24, 21; Act 1, 6), neque rationem crucis ante intellexerunt (Act 5, 41) quam virtutem supervenientis Spiritus sancti accepissent (Act 1, 8). Sapientia enim huius mundi erat, quae salutem per deletionem status anterioris voluit, et illum iustitiae regnum his in terris exspectabat, quod nullam iniustitiam a iustis patienter tolerandam haberet. Sed ipsa Dei virtus, Deique sapientia in Christo crucifixo agnoscenda est; quamvis enim Iudeis scandalum sit et gentibus stultitia, attamen stultum Dei sapientius est hominibus et infirmum Dei fortius est hominibus (1 Cor 1, 23-25). Quod vero ab homine animali agnosci non potest, sed a solo spirituali, qui per Spiritum sanctum sensum Christi accepit (1 Cor 2, 12-16; Io 8, 37.47^o). Quantum autem totam nostrae salutis oeconomiam penetret ratio crucis, ex ipsa ratione crucis declaratur.

Haec enim ratio malum vincendum presupponit. Sed per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransivit' (Rom 5, 12); proinde 'regnavit peccatum in mortem' (Rom 5, 21) et illa quidem amplitudine atque efficacia quam descripsit Apostolus 8.

Porro, malum per victoriam voluntariam vincitur. Quae quidem victoria in primis est Christi, qui a se ipso posuit animam suam (Io 10, 18); ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum (Heb 2, 14); ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam (Rom 5, 21). Nam 'per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur' (1 Cor 15, 21.22).

Quam voluntariam Christi victoriam imitamus et sacramentaliter et moraliter et physice. Sacramentaliter quatenus conseptuli enim sumus cum illo per baptismum in mortem ('om 6, 4; Col 2, 12). Morali- ter autem quatenus 'serni estis eius cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obditionis ad iustitiam' (Rom 6, 16), quia 'prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita et pax' (Rom 8, 6), et ideo 'si enim secundum carnem vixeritis, morienni; si autem spiri- tu facta carnis mortificaveritis, vivetis' (Rom 8, 13); sicut enim Christus est' Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu' (1 Pet 3, 18), ita etiam 'peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum , ut peccatis mortui iustitiae vivamus' (1 Pet 2, 24); et 'si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus ut, et qui vivunt, iam non sibi vivant sed ei qui pro ipsis mortuus est ex et resurrexit (2 Cor 5, 14.15).9

Sacramentali denique et morali victoriae succedit victoria physica, si quidem 'nostra conversatio in caelis est, unde etiam exspe- ctamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humili- tatis nostrae configuratum corpori claritatis suae, secundum operatio- nem qua etiam possit subicere sibi omnia' (Phil 3, 20.2L).

Tertium denique secundum rationem crucis est bonum victorianum consequens. 'Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris

audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum' (1 Cor 2, 9). Et tamen ex fractibus bonae arboris et malae ratiocinantes (Mt 7, 17.18), aliquam huius rei intelligentiam consequi possumus (DB 1796).

Nam nostris temporibus inimici crucis Christi (Phil 3,18) ipsam crucis rationem impugnantⁱ. Dixit quidem Caphas, pontifex anni illius: 'Vos nescitis quidquam nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur pro populo et non tota gens pereat' (Io 11, 49.50).

At Nietzsche non infirmum practici hominis argumentum protulit ex eo quod expedit, sed ipsam Dei sapientiam in Christo crucifixo manifestatam irrisit, quasi ratio crucis servorum mentem exprimeret qui propiam ignaviam virtutem nominare vellent. Iterum, cum Dominus professus sit se in hoc natum esse et in hoc in mundum venisse ut testimonium perhiberet veritati, respondit Pilatus, 'Quid est veritas?' (Io 18,37).

At fortius respondit Marx, dictam veritatem esse idealogiam ideo excogitatum ne plebs propria iura vendicaret. Ex quo factum est ut novum nostrorum temporum evangelium non dilectionem proximi sed odium, neque crucem sed revolutionem praedicet. Quos autem fructus profert arbor, in bellis immanibus et integris nationibus ad servitutem redactis conspicere possumus. Reiecta enim Christi lege, ad illud imperi atque dominii genus quodammodo redimus, quod ante Christum vigerat et martyrum sanguis vicit.

Bonae autem arboris fructus in primis in ipso Domino nostro resurrecto videmus qui est pimitiiae dormientium (1 Cor 15, 20).

Absorpta enim est mors in victoriam (1 Cor 15, 54). Quod brevissimo temporis intervallo in se ipso transfigurato manifestavit Christus homo (Mc 9, 2 ss.; 2 Pet 1, 16 ss.), hoc corpus claritatis suae iam pridem sacerdos in aeternum habet. Cuius tamen claritatis causa interna non defuit, cum Christus homo apud Iordanem eandem vocem paternam

audierit, 'Tu es Filius meus dilectus, in te complacui' (Mc 1, 11;9,7).

Gum enim dilectio ad personam terminetur, eadem dilectione Deus Pater Filium Deum et filium hominem diligit; quae quidem dilectio est ipse Spiritus sanctus seu Amor procedens, in baptismo sub specie columbae figuratus (Mc 1, 10), in monte autem per obumbrantem nubem intellectus (Mc 9, 7). 10

Iam vero 'quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus' (Rom 8, 29). Quare, Filius Patri de credituris dixit: 'dilexisti eos, sicut et me dilexisti'; et iterum ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit' (Io 17, 23.26). Quae quidem dilectio, dat adoptionem filiorum et donum; increatum Spiritus sancti et creatum gratiae donum; quibus conducimur in vitam aeternam et in societatem civium caelestium per Christum Dominum nostrum. Consepti enim cum Christo per baptismum in mortem (Rom 6, 4), paternae dilectionis gratiam accipimus. Quod si compati debemus ut conglorificemur, non tamen 'condignae sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis'. (Rom 8, 17.18).

ARTICULUS XXIV

DE MYSTERIO CRUCIS.

Quod genus humanum secundum rationem crucis a peccatis redimitur, haud mysterium est. Qui enim peccat, difficiliter sibi reddit bonum facere, et ideo malum in primis vincendum habet, et deinde voluntariam super malum victoriam, et tertio bonum ex victoria consequens. Quod autem Dei Filius ita carni et sanguini communicavit (Heb 2, 14), ut ipse secundum rationem crucis genus humanum in vitam divinam rediret, hoc magnum mysterium est in Christo et ecclesia (Eph 5, 32; cf. 1 Cor 6, 15-17), temporibus aeternis tacitum, nunc secundum praeceptum aeterni

Dei ad oboeditionem fidei patefactum, et in cunctis gentibus cognitum (Rom 16, 25.26); quod manifestum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria (1 Tim 3, 16).

Quod quidem mysterium est 'instaurare omnia in Christo' (Eph 1, 9.10), et temporalem esse caecitatem in Israel (Rom 11, 25 ss.) et 'gentes esse coheredes et concorporales et conparticipes promissionis eius' (Eph 3, 4.6), et 'Christus in vobis, spes gloriae, quem nos annuntiamus' (Col 1, 27), 'in quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem eius' (Eph 3, 12; cf. Rom 5, 1.2).

Quod regni mysterium ab excaecatis non agnoscitur (Mc 4, 11 ss. Is 6, 9 s.; Io 12, 40; Act 26, 28), sicut crucis mysterium mundanae sapientiae opponitur (1 Cor 1, 23 ss.), et Dei sapientia quam in mysterio loquimur (1 Cor 2, 7) a Deo per Spiritum suum nobis revelatur (1 Cor 2, 10-16).

Quo in mysterio perspiciuntur Dei sapientia, voluntas, caritas misericordia, atque iustitia. Nam Christus crucifixus est Dei sapientia (1 Cor 1, 23-24); Christus factus est nobis sapientia a Deo (1 Cor 1-30 hanc Dei sapientiam loquebatur Paulus in mysterio (1 Cor 2, 7); per mysterii praedicationem innotescit multiformis sapientia Dei (Eph 3, 10 et in Christo Iesu sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi (Col 2, 2).

Idem proinde mysterium est 'sacramentum voluntatis suae' (Eph 1, 9) qua voluntate Deus Pater prior dilexit nos (1 Io 4, 9; cf. Rom 5, 8; 8, 32) et, cum essemus mortui peccatis, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, dives in misericordia (Eph 2, 4.5) erat in Christo mundo reconcilians sibi (2 Cor 5, 19), et Christum propoenens propitiationem ad ostensionem iustitiae suae, ut sit ipse iustus et iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi (Rom 3, 25.26).

Quod Dei consilium liberrimum fuisse constat, tum ex caritate et misericordia Dei Patris erga inimicos (Rom 5, 8-10), tum ex

liberitate ipsius Christi (Io 10, 17.18; Mt 26, 55), tum ex consensu Patrum et theologorum.

Quo sensu autem rationem mysterii in cruce Domini nostri agnoscere debeamus, paulus fusius declarandum esse videtur. Nam vi vocis in scripturis adhibitae, concludi non potest nisi secretum Dei consilium. 12^a Praeterea, quamvis concilium Vaticanum ad doctrinam de mysteriis declarandam citationes ex contextu paulino (1 Cor 2, 7.8.10) desumpserit, eas tamen modo generali de gratia et veritate quae per Iesum Christum facta est intellexit (DB 1795).

Constat tamen mysteria stricte dicta in nostra redēptione contineri, Patrem nempe misericordem, Filium incarnatum, Spiritum sanctificantem, finem absolute supernaturalem, et media ad finem suum modo proportionata.

Constat praeterea in opere nostrae redēptionis revelari Deum esse talēm qualēm naturaliter cognoscere non possumus. Etsi enim naturale rationis lumen demonstrare possit Deum esse sapientem, liberum diligētem, misericordem, iustum, haec tamen omnia nisi ex analogia creaturarum non concludit. Quare, ex Filio Dei incarnato, mortuo, resurrecto, aliam longeque altiorem analogiam accipimus ad ipsum Deum cognoscendum prout in se est. Novam hanc divinae sapientiae notitiam celebrat S. Paulus. 13 Novam hanc divinae misericordiae et caritatis notitiam admirati sunt non solum novi testamenti auctores sed etiam tota traditio catholica. Quanta autem sit Dei libertas, nunc scimus ex eo quod libere homo factus est et libere obediens factus est usque ad mortem crucis. Qualis denique sit Dei iustitia, iam non solum ex analogia tribunalium et carcerum et patibulorum sed etiam ex Filio proprio crucifixo concludimus

Sed praeter sensum theologicum, quo de mysteriis stricte dictis loquimur, aliis est sensus quo de mysteriis vitæ Christi vel de mysteriis coronæ B.M.V. loqui solemus. Et ita ipsum sensibile corpus Domini patiens, moriens, resurgens dicitur mysterium per quod ex

sensibilibus ad intelligibilia et spiritualia et divina manuducimur. Qui autem huius nominis sensus cum anteriori annexatur, cum Verbum caro factum sit Deus factus sensibilis, ut per propiam carnem manifestaret mentem suam humanam atque cor suum humanum, per haec vero nobis ipsam suam divinitatem interpretetur.

Accedit proinde et alius sensus his ex extremo oppositus, quo mysterium iniquitatis iam operari dicitur (1 Thess 2, 7). Qui quidem sensus, nisi exacte consideratur, maximam difficultatem atque confusionem inferre solet. Nam praeter intelligibile quod proportionatum obiectum nostri intellectus in statu praesentis vitae constituit, et praeter divinum intelligibile quod intellectum creatum excedit neque hanc in vita nisi imperfecte et analogice intelligere non valeans (DB 1796), etiam datur irrationale, absurdum, non-intelligibile quod peccato ideo inest quia dictamini rectae rationis opponitur. Quod quidem irrationale et non-intelligibile multos decipit, quippe qui illud sicut et alia intelligere student. Sed sicut concipitur irrationale et non-intelligibile per negationem rationalitatis et intelligibilitatis, ita etiam circa idem non est aliud intelligendum nisi hoc quod irrationale qualem et non-intelligibile quod tale non intelliguntur.

Praeterea, in mysterio crucis non solum coniunguntur mysteria divina, quae nostrum intellectum excedunt quia nimis sunt intelligibilia et non-intelligibilia peccata, quae obiective ab intelligibiliitate deficiunt, sed inter divinam excellentiam et peccati miseriam intercedit aliud valde ambiguum, quod maxime in morte conspicitur.

Nam in primis mors habet rationem poenae. Scriptum est enim: 'in quocunque die consideris ex eo, morte morieris' (Gen 2,15; 3,19); et invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum' (Sap 2, 24); et 'per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors' ('Rom 5, 12); et 'finis illorum mors est' et 'stipendia peccati mors' -Rom 6, 22.23). Quae quidem omnia eam Dei iustitiam dicunt secundum quam ex peccato sequuntur retributio atque poena.

Sed e contra mors etiam medium est. Nam 'ipse similiter participavit eisdem (carni et sanguini) ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, idest diabolum' (Heb 2, 14); et propter mortem crucis Deus Iesum exaltavit (Phil 2, 9); et gloria et honore eum coronavit (Heb 2, 9); et 'reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius' (Rom 5, 10); et 'mori lucrum' (Phil 1, 21); et 'cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria' (1 Cor 15, 55). Quae quidem omnia non Dei iram (Rom 1, 18) atque infligenda venia (Rom 2, 4-9) dicunt sed illam salutis oeconomiam qua Deus Fater 'eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae' (Col 1, 13; cf. Eph 2, 4-6).

Quod vero mors et poena peccati et salutis medium est, per sequivocum quedam eiusdem vocabuli usum minime explicatur. Nam ex ipsa crucis ratione constat ipsum malum, quod ex peccato procedit, per victoriam voluntariam in bonum esse transformandum. Poena ergo et mors inquantum ex peccato oritur (Rom 5, 12); poena pariter est mors inquantum ad peccatum inclinat eos qui 'timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti' (Heb 2, 15); at ipsa haec poena in medium salutis transformatur secundum divinam crucis sapientiam, quae iudicavit non vetus malum delendum novumque bonum creandum secundum placita eschatologica et iudaica, sed ipsum vetus malum per hominem in bonum esse transmutandum. Nam 'per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum; et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur' (1 Cor 15, 21.22).

Quae cum ita sint, quo crucis mysterium et ordinatus dicatur et facilius retineatur, quinque enumerandi videntur eius modi seu aspectus, videlicet, (1) symbolicus, (2) intellectualis, (3) volumarius, (4) providentialis, et (5) divinus.

In primis ergo crux Domini est symbolum. Ipsum enim Christi

crucifixi sensibile corpus sanguisque effusus et interiores actus mentis cordique Christi repreäsentant atque exprimunt, nostrosque sensus sentimentaque parcellunt, unde fructum spiritualem in aperitione oculorum volumtatisque affectibus percipimus. Quatenus ergo symbolum est, crux Christi (1) ratione sui, in nostram sensitatem eamque totam agit, (2) ratione coniunctionis inter partem nostram sensitivam et intellectivam, ulterius agit in nostrum intellectum atque voluntatem et (3) ratione divinae gratiae intellectum illuminantis et voluntatis inspirantis, eos fructus producere solet propter quos contemplatio Christi patientis et morientis schola sanctitatis habetur.

Deinde, crux Christi dicit rationem quamdam intelligibilem. Non ea enim est nostra redemptio quae mala antecedentia simpliciter delet et nova bona pro malis substituit, sed in eo consistit quod mala ex peccato provenientia per voluntaria^m victoriā in bona nova transformantur. Quae quidem crucis ratio tam in ipso praesunte Christo 14 quam in nobis subsequentibus 15 conspicitur. Et ipsa haec ratio, quamvis in se intelligibilis quidam sit rerum ordo a divina sapientia conceptus, attamen a nobis dupliciter non intelligitur. Nam quatenus peccatum presupponit, non-intelligibile atque irrationale presupponit quod obiective ab intelligibilitate deficit. Quatenus autem ipsam Dei sapientiam, caritatem, misericordiam, iustitiam revelat atque in ipsum Deum conducit, infinitam respicit intelligibilitatem quae a nobis hac in vita nisi imperfecte et analogice intelligere non possumus.

Tertio, crux Christi ex voluntate diversitatem accipit. Physice enim crucifixio Christi est una, sed moraliter dualitatem habet, cum alius alium crucifigat. 16 Quatenus ergo Christi crucifixio voluntaria erat voluntate Pilati et pontificum et turbae, gravissimum erat peccatum. Quatenus autem eadem Christi crucifixio voluntaria erat voluntate Christi acceptantis, opus erat perfectissimum.

Ideo ergo ratio crucis dicit mali in bonum transformationem, quia illud quod phisice unum est, duplē moralitatem habere potest

secundum diversas voluntates eorum qui crucem aliis imponunt et qui crucem ab aliis impositam patienter sustinent. Quapropter qui Dominum audit, proximum diligit; qui Dominum imitatur, crucem sustinet; qui aliis autem crucem imponit, a diabolo decipitur, cum non Christum sed Pilatum sequatur.

Quarto, accedit aspectus divinae intentionis atque consilii qui differentiam fawit inter Crucem Christi et crucem ab aliis Christi sequacibus sustentam. 17 Quamvis enim in utraque eadem cernatur generalis crucis ratio, aliter tamen de duce et aliter de milite ratiocinandum est. Eadem in utrisque cernitur generalis ratio, si quidem ipse Dominus affirmavit suam mortem esse exemplum disponibilitatis christiana (Mc 10, 42-45) et S. Petrus passionem Domini exemplum nobis propositum docuit ut sequamur vestigia eius (1 Pet 2, 19-24).

At generica haec identitas differentiam specificam minime impedit, cum Dominus noster per suam crucem non pro suis sed pro alienis peccatis satisfecerit, non sibi soli sed generi humano resurrectionem meruerit, se pro aliis victimam obtulerit, pro multis pretium suam vitam dederit. Quare, quamvis malum sit vincendum per victoriam voluntariam tam a nobis quam a Christo, secundum intentionem divinam et propter dignitatem Filii Dei ipsa Christi victoria alterius victoriae omnis et causa existit et exemplar et motivum.

Quinto denique crux Christi est Dei revelatio. Nam longe altius Deum cognoscit, qui Dei sapientiam Deique bonitatem concipit, non ex analogia caeterarum, sed ex Christo homine eoque pro nobis mortuo atque resurrecto.

Accedit quod in divino hoc crucis aspectu iterantur quodammodo omnes aspectus huc usque enumerati, si quidem ab aeterno Deus totam crucis rationem concrete applicatam et sua sapientia concepit et sua bonitate elegit. At quamvis haec iteratio iis aliis specialem difficultatem non faciat, novam tamen fallacie occasionem iis praem-

bere solet, qui non-intelligibilitatem peccati omnino intelligendam esse ducant. Quod se paulo melius sapis, malum culpae dicis falsitatem ontologicam atque obiectivam, 18 idque in divinam sapientiam reducis non ordinamtem sed prohibentem et praeconoscendentem, in divinam autem voluntatem, nullo modo volentem sed tantummodo permittentem. 19 Quantum autem ad malum naturalis defectus et malum poenae, quae Deus non directe sed indirecte vult; 20 aspectum distinguis antecedentem et consequentem. Quia enim Deus vult ordinem universi, posito uno malo vi ipsius ordinis sequitur malum aliud. Quia autem Deus etiam de malis bonum educere vult, ortis malis conceditur etiam malorum remedium usque ad impaenitentiam finalem. 21

ARTICULUS XXV

DE IUSTITIA CRUCIS.

Circa iustitiam crucis duo sunt consideranda: primo enim breviter recolenda sunt generalia principia circa divinam iustitiam; deinde, haec principia rationi crucis sunt applicanda.

Et quantum generalia principia attinet, quia non erit impossibile apud Deum omne Verbum (Lc 1, 37), absolute potest Deus facere quocumque internam contradictionem non implicat. 22 Deinde, quia sapientia Dei uniformis est (Eph 3, 10), ita totum posse divinae potentiae comprehendit ut quocumque Deus absolute posset facere, etiam sapientissime in divinam bonitatem manifestandam ordinare potest. 23 Tertio, quia ideo recta atque iusta estxDei voluntas, quod quemlibet rerum ordinem ab infinita sapientia determinatum aligit exsequendum, 24 constat Deum summa rectitudine summaque iustitia facere posse quocumque absolute potest facere. Quae cum ita sint, actualem rerum ordinem concludes et maxime convenientem esse quia

divina sapientia eum ordinavit, et maxime iustum esse quia divina electio divinam sapientiam secuta est, et maxime liberum esse quia pari sapientia infinita et pari bonitate infinita potest Deus facere quocumque absolute potest facere. Cui conclusioni aliam prudenter adiungis, nempe, theologum infinitam Dei sapientiam non habere, et ideo eum illos alios rerum ordines pariter convenientes pariterque iustos quales sint dicere non posse. Quapropter quaerentibus utrum Deus aliter non salvos facere potuisset, semper brevissime cum S. Augustino respondendum est: 'Poterat omnino; sed si aliter ficeret, similiter vestras in stultitiae displiceret.²⁵

Deinde, cum principia nuperrime tradita tam actuali rerum ordini quam cuilibet ordini possibili convenient, facillima est eorum applicatio. Quaecumque enim facta sunt, consilio divino facta sunt et liberrimo et sapientissimo et convenientissimo et rectissimo et iustissimo. Praeterea, uti supra habitum est, Deus per Christum hominem secundum rationem, legem, mysterium crucis nostram salutem operatus est. Quaecumque ergo ad hanc rationem, legem, mysterium pertinent, summa Dei sapientia, bonitate, libertate, et iustitia sunt a Deo facta.

Quo magis particulariter declarari potest, si singula considerantur elementa quae in ratione, lege, mysterio crucis continentur. Quorum prima est ipsa divina intentio salvifica atque activitas; altera est ratio atque lex crucis secundum quam evolvitur haec activitas; tertia est mediatoris interventio per quem activitas salvifica procedit; quartum est ipsum mediatorem secundum rationem crucis opus suum peragere; quinta denique est ea divinae bonitatis manifestatio quae mala fieri permittit ut de malis efficiat bonum.

Primum ergo elementum est ipsa divina intentio atque salvifica activitas quae bona deperdita restaurat et promissionem Abrahæ factam²⁶ fideliter adimplet.²⁷ Quam salvificam activitatem nominavit S. Paulus Dei iustitiam²⁸ eamque Dei irae contraponit.

In malis enim innumeris peccatum consequentibus revelatur ira Dei; 29 sed iustitia Dei iusti et iustificantis manifestatur atque ostenditur per Christum a Deo propositum propitiatorium proprio sanguine aspersum, quo credentibus conceditur gratuita iustificatio, ut non gloriatur omnis caro in conspectu eius. 30

Alterum deinde elementum est decretum ut genus humanum secundum rationem crucis f̄ salvum fiat. Supposita enim divina intentione salvifica atque humano bono per h̄ix malum culpas corrupto, aut bona mala corruptum deletur et novum creatur bonum, aut vetus malum sine homine cooperante in bonum commutatur, aut malum in bonum per voluntariam hominis victoriam commutatur. Sed hoc tertium, in quo ratio crucis conspicitur, cateris viis convenientius est. Si enim vetus et corruptum deletur et novum creatur bonum, non redimitur vetus sed deperditur. Neque restauratur bonum humanum mala voluntate corruptum, nisi mala hominis voluntas redditur bona. Neque convenienter mala voluntas in bonam convertatur, nisi ipsa voluntas suae in bonum conversioni consetit. Neque sufficienter bona facta est voluntas, nisi mala malitiae suae consectaria per victoriam voluntariam in bonum commutare possit atque ita velit ut perficiat.

Et hanc Dei iustitiam intellexerunt Patres qui diabolum non potentia sed iustitia vincendum fuisse dictabant.

'Non autem diabolus potentia Dei sed iustitia superandus fuit. Nam quid omnipotentepotentius? Aut cuius creaturae potestas potestati Creatori comparari potest? Sed cum diabolus vitio perversitatis suae factus sit amator potentiae et desertor oppugnatorque iustitiae; sic enim et homines eum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta vel etiam perosa iustitia potentiae student, eiusque vel adēptione laetantur vel inflammantur cupiditate; placuit Deo ut propter eruendum hominem de diaboli potestate non potentia diabolus sed iustitia vinceretur; atque ita homines imitantes Christum iustitia quaererent diabolum vincere non potentia... Hoc ergo tempore quo differtur

potentia populi Dei, non repellit Dominus plebem suam et haereditatem suam non derelinquet; quanta libet acerba et indigna ipsa humiliat atque infirma patiatur, quo adusque iustitia, quam nunc habet infirmitas piorum, convertatur in iudicium, hoc est, iudicandi accipiat potestatem: quod iustis in fine servatur, cum praecedentem iustitiam ordine suo fuerit potentia subsecuta... Optandum est itaque ut potestas nunc detur, sed contra vitia, propter quae vincenda potentes nolunt esse homines, et volunt propter vincendos homines; ut quid hoc, nisi ut vere victi falso vincant nec sint veritate sed opinione victores? Velit homo prudens esse, velit fortis, velit temperans, velit iustus, atque ut haec veraciter possit, potentiam plane optet atque appetat ut potens sit in se ipso et miro modo adversus se ipsum pro se ipso. Caetera vero quae bene vult et tamen non potest, sicut et vera ad plena felicitas, desiderare non casset et patienter exspectet.'

31 Cur ergo non potentia sed iustitia superandus est diabolus? Quia potentia quamvis in se non sint mala, illusio tamen sunt eius, et dominium et potestas, et error diaboli et gentium. Quia inter Christi sequaces maior est minister et primus est omnium servus, sicut et Filius hominis non venit ut ministraret ei sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis (Mc 10, 42-45).

Tertium autem elementum erat ut activitas salvifica per mediatorem fieret ipsum, scilicet, proprium Dei Filium. Iam vero regnum Dei aut simul per omnes conversos incipit, aut per quosdam simul conversos qui caeteros ad conversionem inducerent, aut per unum quemdam totius oecumeniae fundamentum atque caput. Et tertium caeteris convenientius fuisse constat. Nam non omnes homines sunt simul sed successivis generationibus oriuntur atque moriuntur; neque salvator communis rerum ~~sursus~~ ^{ordisque} divina sapientia constitutus, si omnes qui uno tempore vivunt homines simul e multis et diversis malis in unum verumque bonum miraculo quodam interventu divino efficaciter convertuntur. Praeterea, assignari haud potest ratio cur

omissis aliis quidam primo in bonum convertantur et potestatem alios convertendi accipient; quod si ratio deest, a convenientia deficit etiam altera via. Remanet ergo ut per unum hominem incipiat regnum Dei, et eo convenientius hic unus seligitur, quo magis in se ipso rationem habeat cur caeteros in regnum per eum conducantur. Quae quidem ratio facillime in Filio Dei conspicitur. Nam 'qui etiam proprio Filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum, quo modo non etiam cum illo omnia nobis donavit?' (Rom 8, 32). Dato ergo Filio, dari debent omnia. Sicut autem prorsus sufficiens est ratio quae in Filio Dei inventitur, ita etiam quodammodo necessaria est. Qui ~~extrem~~ enim in adoptionem filiorum praedestinantur, tamquam filii essent, diliguntur. Neque alia est ratio cur peccatores tamquam filii diligentur, nisi Filio consociantur atque conformantur 'ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit' secundum illud 'dilexisti eos sicut et me dilexisti' (Io 17, 26.23). Quapropter et illud patristicum retinemus, Filium Dei hominem esse factum ut homines suam divinitatem participant. 32

Quartum vero elementum erat ut mediator, etsi Filius Dei esset, secundum rationem crucis in salutem nos perduceret. Cuius rei quanta sit convenientia vix dici potest. Eatenus enim convenienter Deus Pater eadem dilectione ac propium suum Filium etiam nos diligit, quatenus ex Filio et nobis efficitur unum, quatenus et Filius nobis assimilatur atque coniungitur et nos Filio assimilamur atque coniungimur. 33 Quae duplex assimilatio atque coniunctio quam convenientissime quamque efficacissime per ipsum Filium mediatorem facta est, quatenus ipse secundum rationem crucis in salutem nos perducit.

Et prima quidem assimilatio atque coniunctio, quae est Filii ad nos, per incarnationem et Incarnati dilectionem facta est. 'Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem' (Heb 2, 14) 'per omnia fratribus' assimilatus (Heb 2, 17). Verbum ergo caro factum est (Io 1, 14), neque caelestem quamdam carnem sibi assumpsit, 34 sed ex muliere (Gal 4, 4), ex

semine David secundum carnem (Rom 1, 3), ex Israelitis cognatis meis secundum carnem (Rom 9, 4.5) formam servi accepit (Phil 2, 7) et similitudinem carnis peccati (Rom 8, 3). Corpus peccati quodammodo habuit ut in ipso crucifijo corpus peccati destrui posset (Rom 6, 6), ut in sua carne damnari posset peccatum (Rom 8, 3), ut peccatum pro nobis fieri posset (2 Cor 5, 21). Sub dominio mortis quodammodo erat ut semel peccato mortuus non iam sub mortis dominio esset (Rom 6, 9-11). Sub lege factus est (Gal 4, 4) ut maledictionem legis subire et ideo benedictio Abrahae fieri posset (Gal 3, 13.14). Eam carnis infirmitatem habuit ut ex ea crucifigi potuerit (2 Cor 13, 4), et carne mortificari sed spiritu vivificari (1 Pet 3, 18), et salutem impetrare (Heb 5, 7), et aeternam invenire redemptionem (Heb 9, 12), et secundo sine peccato esse apparitus (Heb 9, 28). Eam assumpsit humanitatem ut per passionem eum perfici et consummari decuerit (Heb 2, 10) et ex iis quae pateretur obedientiam addiscere potuerit (Heb 5, 8), si quidem 'qui sanctificat et qui sanctificantur, ex uno omnes 3((5 (Heb 2, 11).

Cui assimilationi in natura et stirpe et conditione sorteque humana accessit illa coniunctio, imo quasi identificatio, quam facit dilectio. Amicus enim amicum apprehendit 'ut alterum se', inquantum scilicet vult ei bonum sicut et sibi ipsi. Et inde est quod amicus dicitur esse alter ipse; 36 et Augustinus dicit in IV Confessionum 37 'Bene quidam dixit de amico suo, dimidium animae suae.'³⁸ Quanta autem qualisque fuerit dilectio Christi erga nos, et ipse sicut factis ita etiam verbis testatus est, dicens: 'Maiores hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.' (Io 15 13). Sed quam intima, quam tenera, fuerit fortissima illa dilectio, testatus est S. Paulus, quasi per transennam dicens: 'Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi sed ut sit sancta

et immaculata. Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui ~~minim~~ suam uxorem diligit se ipsum diligit. Nemo enim umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus ecclesiam, quia membra sumus corporis eius' (Eph 5, 25-30; cf. 1 Cor 6, 15-17).

Quod si inter virum et uxorem, inter amicos, omnia mea sunt tua, et omnia tua sunt mea (cf. Io 17, 10); quomodo fieri potuit ut nostram crucem suam non faceret Christus? Quinimmo, ita suam fecit, ut eam esse nostram obliviscamur, eamque Christi esse dicere soleamus. At Peccatoris est secundum rationem crucis in amicitiam divinam pervenire. Sed Christus peccatum non fecit (1 Per 2, 22) neque noverat (2 Cor 5, 21) sed tentatus per omnia pro similitudine absque peccato (Heb 4, 15) pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus sine necessitate offerendi pro propriis delictis (Heb 7, 26.27) agnum immaculatum et incontaminatum (1 Pet 1, 19) se ipsum Deo obtulit. Crucem ergo quae sua non erat suam fecit. Nos enim novit stultos et tardos corde ad credendum (Lc 24, 25). Nos etiam novit magis exemplo quam praecepto esse docendos. Sed et illud novit: 'mag ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum' (Io 12, 32). Quam ob causam, non solum assimilationem atque coniunctionem sui ad nos effecit, sed modo maxime efficaci assimilationem et coniunctionem nostri ad eum invitavit.

Age vero. Ipsa crucis acceptatio non tota crucis ratio est, quippe quae malum culpae et consequens malum poenae praesupponit, neque tantummodo humanam victoriam super malum dicit, sed etiam ad optimi Patris (Mt 7, 11) larga dona conducit. Quam ergo crucem principes sacerdotum et Iudas proditor et turba urbana et Pilatus et milites Christus, ut et suam resurrectionem et gloriam (Phil 2,9; Heb 2, 9) et nostram iustificationem (Rom 5, 19) meritus sit. Eam passionem vicariam quam Christus subivit, vicariam satisfactionem habuit Deus Pater pro nobis nostrisque peccatis (DB 799, 904). Eam crucis mortem sacri-

ficium voluit Deus Pater a sacerdote aeterno oblatum. Illud dare animam suam preium iudicavit solutum, ut a potestate tenebrarum eripi (Col 1, 13) populus adquisitionis (1 Pet 2, n9) atque acceptabilis efficeremur.

Quibus peractis, ut symbolo utar antiquo, de latere Christi nata est ecclesia. Cum enim ex amore nostri nostram crucem acceptaverit Christus homo, quantum fieri potuit, tantum fecit ut ipse se nobis assimilaret atque coniungeret; iterum, quantum fieri potuit per modum meriti, satisfactionis, sacrificii, redemptionis, atque humanae tractonis membrorumque unitas quae est ecclesia; propter quam unitatem Deus Pater dilectionem suam erga Proprium Filium in membra Filio unita extendit ut filiorum adoptionem largiatur et Spiritum Filii sui in corda eorum mittat clamantem: Abba, Pater § (Gal 4, 5.6).

Quintum denique fuit elementum quod, hoc in rerum ordine, per divinam sapientiam constituto, ea est divinae bonitatis manifestatio, quae mala fieri permittit, ut de malis efficiatur bonum. Quamvis enim Deus nullatenus sit auctor mali culpas, quod divinae sapientiae per ontologicam et obiectivam suam falsitatem 39 opponitur, quod prohibet Deus neque directe neque indirecte vult, 40 idem tamen malum culpae et praecognoscit Deus et permittit quod, nisi permisisset, esset nullum prorsus. Praeterea, cum ipse Deus sit bonus, etiam haec Dei permissione bona est. 41 Quam Dei bonitatem ea lege agnoscere possumus, quod bonitatem nobis analogice notam trascendentes, et ipsum bonum per essentiam dicentes, et solum Deum bonum confitentes (Mc 10, 18), solumque Deum sapientem (Rom 16, 27) vere theologi efficimur simulque adoratores in spiritu et veritate (Io 4, 23.24). Cui gressui primo accedit alter: 'Neque enim onnipotens Deus...rerum cui summa potestas, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret et de malo' Cui altero gressui addendus est tertius. Nam non aliter Deus e malis

facit bonum quam secundum rationem, legem, mysterium, iustitiam crucis; neque ipse Deus aliis ita hanc voluntariam mali in bonum transmutationem imponit, ut ipse, in omnibus primatum tenens, prius non faciat quod ab aliis in suam gloriam poscat.

Caput I. De Bono et Malo

- Art. I De Bono in Genere
- II De Bono Ordinis Humano
- III De Signis
- IV De Comparatione Bonorum
- V De Malo
- VI Ex Malis Bonum
- VII De Impotentia Humana
- VIII De Peccato Originali

Caput II. De Iustitia Dei

- IX De Notione Divinae Iustitiae
- X De Iusto Rerum Ordine
- XI De Ordine Iustitiae Historico
- XII De Ordine Iustitiae Personali
- XIII De Iusta Dei Voluntate
- XIV De Voluntarismo Affinibusque Erroribus
- XV Praecedentium Recapitulatio

CAPUT III. De Christo Mortuo et Resurrecto

- XVI De Morte Christi
- XVII De Pretii Solutione
- XVIII De Sacrificio Novi Testamenti
- XIX De Obedientia Meritoria

XX De Vicaria Passione

XXI De Virtute Resurrectionis

Caput. IV. De Cruce Christi

XXII De Ratione Crucis

XXIII De Lege Crucis

XXIV De Mysterio Crucis

XXV De Iustitia Crucis